EPISTOLAE

PRAEPOSITORUM

GENERALIUM

AD PATRES ET FRATRES

SOCIETATIS IESU

TOMUS TERTIUS

COMPLECTENS

EPISTOLAS AB ANNO 1848 AD ANNUM 1883 DATAS.

EDITIO ALTERA

ALMA COLLEGE
060.2
LIBRARY
J499
Alma, California

ROLLARII
TYPIS IULII DE MEESTER
VIA DICTA S^i ALPHONSI, 7 & 9
1909

6473

MONITUM PRIORIS EDITIONIS

Praesens volumen velut tertius tomus accedit duobus iis quibus conclusae quadraginta quinque EPISTOLAE PRAEPOSITORUM GENERALIUM AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS IESU e typis Gandavensibus in lucem prodiere anno 1847.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/epistolaepraepos0000tomu_p6t6

INDEX

IN EPISTOLAS TOMI TERTII

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

46. *De cultu sacratissimi Cordis Iesu* . Pag. 1
47. *De cultu purissimi Cordis Mariae.* . 24
48. *De spe ex praeteritis calamitatibus concepta* 28

R. P. N. PETRI BECKX

49. *De votorum observantia* 38
50. *De spiritu S. P. N. Ignatii, anno saeculari ab eius morte, excitando.* . . 86
51. *Quo spiritu praesentis temporis tribulationes sint perferendae* 102
52. *De fructu e beatorum Petri Canisii et Ioannis Berchmans exemplis colligendo.* 130
53. *De refugio in sacratissimo Corde Iesu quaerendo.* 186
54. *De ratione moderandae vitae et de causis solacii in calamitatibus Ecclesiae ac Societatis* 190

55. *De novis tribulationibus et de solacio ex beatificatione B. Petri Fabri percipiendo.* . . . . . Pag. 225
56. *De Societate in Urbe et dicione Romana omnibus suis bonis spoliata.* . . . 233
57. *De animarum zelo, et de ratione eas iuvandi* 238
58. *De iis quae praestanda sunt in praesenti temporum calamitate* 268

Sequebantur in editione Gandavensi quattuor " *Epistolae ad superiores*, „ quae in hac altera omittuntur quidem, at postea cum aliis in nova editione " *Praepositorum Generalium selectae Epistolae et Documenta ad Superiores* „ inscribenda foras dabuntur. (Cfr. Tom. IV. pag. 400.)

Indices vero ad finem Tomi illius tertii positi, iam in Tomum quartum relati sunt.

ERRATUM

Ab ima pagina 91, lin. 3, lege *mutabili.*

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE CULTU SACRATISSIMI CORDIS IESU

1. Quas imminere Societati calamitates iam dudum nec semel vobis innuebam, Patres et Fratres carissimi — neque enim difficile erat ex iis quae coram agebantur futura conicere — eas demum irruisse in nos videtis et nobiscum doletis. Provinciae plures eaeque florentissimae eversae, domus ereptae aut etiam direptae, socii, patres, fratres, iuvenes, senes dispersi, spoliati fere rebus omnibus, a sacris obeundis ministeriis prohibiti, a scholis et cathedris abacti, plerique asylum quaerere in exsilio coacti; atque haec omnia non principum aut ordinatae potestatis voluntate, sed paucorum factiosorum hominum conspiratione, a quibus ubique fere rudis plebecula excitata, et in furorem, in phrenesin acta, omni contumelia in nos debacchata est. In tanta clade, qua pars Societatis fere dimidia prostrata iacet — et quid porro futurum sit, solus ille scit qui scit omnia — solacium nobis simul et auxilium quaerendum esse

In praesenti clade

solacium et auxilium nobis praebebit

cultus SS. Cordis Iesu exercendus et promovendus.

dum sentio, occurrit illud commune miseris omnibus apertum perfugium, sanctissimum Cor Iesu, ex quo illae suavissimae prodiere ac prodeunt perpetuo voces: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.* De quo quidem dulcissimo argumento aliquid ad vos perscribere dudum mihi erat in votis. Quod cum tandem, invitante qua premimur temporum acerbitate, aggredior, non ego argumenta vobis afferenda esse existimo, quibus ad SS. Cor Iesu colendum, ad omnem in illo fiduciam collocandam, ad *coniciendam in illud omnem sollicitudinem* vos exhorter; haec enim vobis omnibus praesto sunt, et melius et copiosius quam brevibus litteris fieri a me posset exposita habentur in plurimis libris doctrina ac pietate refertis, qui in omnium manibus versantur. Illud potius, huius de quo loquimur SS. Cordis cultus exercitatio et studium eundem promovendi, quam proprium sit Societati nostrae paucis recolam.

Matth. 11, 28.

1. Pet. 5, 7.

Etenim historia cultus illius et Societatis vicissitudines,

2. Peculiarem Cordis Iesu cultum, qui praecedentibus saeculis non nisi paucorum eorumque sanctitate insignium virorum proprius fuisse videtur, — cuius quidem rei exempla luculenta exstant in S. Augustino, in S. Bernardo, in Lud. Blosio, in Ven. item Lud. de Ponte nostro, nostrisque item Did. Alvarez de Paz, Ant. Gaudier, Ioan.-Bapt. Saint-Iure aliisque compluribus — saeculo demum decimo septimo fidelibus omnibus communem fieri coepisse, atque ex illo tempore per universum orbem propagatum esse non ignoratis. Nostis etiam, Christum Domi-

num, ad hunc sanctissimi Cordis sui cultum communiter omnibus fidelibus commendandum, opera usum fuisse venerabilis virginis Margaritae Mariae, cuius virtutes, post accuratam ac severissimam, ut fieri a S. Sede Apostolica solet, vitae eius, scriptorum omnium, et caelestium etiam quae in eius vita referuntur gratiarum discussionem, anno superiore a regnante summo Pontifice Pio IX heroicae declaratae sunt. Nostis in hoc tantum opus, cum de novo festo in Ecclesia celebrando, deque novo ritu instituendo, novisque item sacris imaginibus publice proponendis ageretur, socium et adiutorem piae virgini designatum ab ipso Domino fuisse, pietate non minus quam doctrina praestantem virum, Patrem Claudium de la Colombière, nostrae Societatis hominem. Nostis quam acriter primum impugnatus fuerit a multis hic idem cultus sanctissimi Cordis, quasi periculosae novitatis inventum, ut etiam veluti haereticae pravitatis figmentum, aut certe haeresim olens a plurimis traduceretur; inter defensores porro eminuisse potissimum Societatis nostrae doctos viros, qui sanctissimum cultum non modo ab omni vitio periculoque immunem propugnarunt, sed eius etiam excellentiam et utilitates ita demonstrarunt, ut tandem adversarii, nisi qui parum catholice sentirent, victas dederint manus, et Sedis Apostolicae non solum approbatio, sed et favor multiplex, quem piorum fidelium per universum fere orbem sanctus ardor

praecesserat, et comitatus semper et subsecutus est, omne dubium sustulerit. Illud etiam a plerisque vestrum non ignorari existimo, ex eo tempore eosdem fuisse passim Societatis impugnatores acerrimos, qui sanctissimi Cordis cultum impugnare perrexerunt; quin adeo, cum Romae calamitosis illis temporibus sub utroque Clemente XIII et XIV, omni arte et vi a nostris adversariis ageretur de Societatis exstinctione, eodem tempore actum ab iisdem incredibili studio fuisse, ut sanctissimi Cordis introductus iam passim cultus damnaretur; quos quidem, cum in eo quod Societatis abolitionem spectabat, altissimo Dei consilio, miserabili tandem victoria exsultarunt, in altero tamen, quod SSmum Cor Iesu impugnabant, victores exsistere non permisit Deus; quin etiam paulo post, in sollemni atque dogmatica damnatione pseudo-synodi Pistoriensis, vindicatus fuit a Pio VI SSmi Cordis honor et cultus. Haec omnia passim nota omnibus. At quod a plerisque vestrum adhuc ignorari arbitror, quodque maxime ad rem nostram pertinet, illud est quod subiungam.

praesertim si attendimus quae ex Provincia Albo-Rossiaca hic referuntur, suadent illum nobis peculiari modo proprium esse debere.

3. Ego, Patres et Fratres carissimi, multo antequam Societas a SSmo Patre Pio VII novae vitae redderetur, cum ad eam in solo tunc Rossiaco Imperio superstitem, singulari et eo quidem tempore valde raro Dei beneficio admissus essem, illam in omnium nostrorum animis haerentem ac defixam sententiam reperi: " Quod conservata illic esset non

sine prodigio Societas, quodque paulatim augeri coepta esset, id SSmo Cordi Iesu in acceptis referendum esse ; et porro, quod sperabatur de futura eius restitutione in universum orbem, id pariter ab eodem SSmo Corde unice sperandum. „ Id caelitus dato indicio, minime vano, pro certo habebatur. Hinc peculiaris quaedam SSmi Cordis colendi ratio pluribus ante annis praescripta servabatur inter nostros, eiusque cultus omni studio promovebatur apud externos, piis sodalitatibus in quovis Collegio institutis, festoque SSmi Cordis die omni cum sollemnitate celebrato. Omne Societatis incrementum inde potissimum pendere, si magno zelo cultus hic, tum in nostris, tum in aliis promoveretur, omnibus erat persuasum. In encyclicis quidem litteris, quibus viginti fere retro annis P. Stanislaus Czerniewicz, Vicarii Generalis tunc officio fungens, ad hunc ipsum SSmi Cordis cultum socios adhortatus erat, quaeque singulis annis, aliquot ante eiusdem festum diebus, in publica mensa legebantur, illo, memini, utebatur prooemio : " Ad illud usque tempus confugisse socios ad Sanctos Societatis, opem illorum in tam multis necessitatibus implorantes ; nec fraudatos quidem spe sua fuisse ; multa tamen et maiora quae sperarentur etiamnum desiderari, quae adhuc frustra petiissent ; ergo iam ad ipsum Cor Iesu confugiendum, sperandumque fore ut aliquando ad Sanctos nostros insonti illa expostulatione uti liceret, qua olim

S. Scholastica fratrem suum Benedictum compellasse legitur: *Rogavimus vos, et audire noluistis*; *rogavimus Deum nostrum, et exaudivit nos.* „ Quae vero iis litteris praescribebantur in honorem SSmi Cordis pietatis exercitia, ea praestitimus in Provincia Albo-Rossiaca, toto decennio quod a meo in Societatem ingressu ad tempus usque optatae ac speratae semper restitutionis Societatis excurrit; et post obtentum hoc tantum beneficium, quod SSmo Cordi potissimum tribuebatur, eadem praestare perreximus, usque ad nostrum ex illo Imperio exsilium.

Idem suadent rationes intrinsecae: 1° Ipsa Domini nostri voluntas non obscure manifestata;

4. Iam si quaeramus, Patres et Fratres carissimi, cur nobis singulari quodam modo proprius ac praecipuus esse debeat SSmi Cordis Iesu cultus, rationes plures sese offerunt. Horum prima sine dubio et omnibus potior, quaeque vel sola profecto sufficeret, ea est, quod ipse Dominus, eo ipso tempore quo Cordis sui cultum introduci ac celebrari in Ecclesia praeciperet, hoc ipsum velle se, ut per Societatem maxime praestaretur, non semel, neque obscure edixerit. Atque erat sane conveniens, ut Societas Iesu tota se daret in vota Iesu de Cordis sui cultu tam miris sed veris modis manifestata; quae quidem Iesu vota non piae solum imaginationis venerabilis virginis effectus fuisse, ex iis quae ex illo tempore contigisse in Ecclesia novimus, cum ipsius Ecclesiae approbatione sollemni, omnibus catholicis extra dubium positum est.

5. Praeterea vero, nonne plane conveniens erat, ut Societas, quae nomine Iesu, ipso Iesu sic volente, insignita erat, in omnibus quae ad Iesu cognitionem et amorem et gloriam pertinent, partem semper sibi praecipuam assumeret ? ut quae Iesu tota est, et cum Iesu prospera habet et adversa modo peculiari communia, ea in eius etiam Cordis amore et cultu promovendo excelleret ? Cumque Societas nos in vita Iesu meditanda, quod mentalis orationis cotidianae ex regula praescriptae perpetuum fere argumentum est, illud ante omnia ac praecipue spectandum ex P. Ignatii instituto doceat, ut Iesum semper magis intime cognoscamus et ardentius amemus et pressius ac perfectius sequamur, nonne conveniens erat, ut eadem nos peculiari studio ad apertum iam fontem illum inexhaustum sanctitatis ac bonitatis virtutumque omnium, ad ipsum, inquam, Cor Iesu sacratissimum contemplandum praecipue, et cognoscendum et amandum et imitandum invitaret atque compelleret ? 2° ipsum nomen Societatis Iesu ;

6. Mihi quidem, Patres et Fratres carissimi, eo maxime nomine commendandus esse nobis cultus SSmi Cordis, nostrisque hominibus praecipue convenire videtur, quod cum vitam communem degamus, externis fere semper ministeriis distenti, singulari prorsus cura nobis prae aliis religiosis internum spiritum internasque virtutes colere necesse est, ex quibus omnis actio nostra vim suam ac virtutem et meritum etiam 3° vivendi ratio nobis propria ;

derivet; ne forte exteriore cortice bonae vitae operumque zeli contenti, oleum operamque perdamus coram Deo, qui intuetur cor, quique profecto iure suo illud a nobis requirit, ut quod ad virtutum exercitia spectat, plus intus in corde geramus quam quod exterius hominum oculis apparet. Etenim ad humilitatem et mansuetudinem nos informans Dominus Iesus : *Discite*, inquit, *a me, quia mitis sum et humilis corde*; *corde*, ait, id quod pariter de omnibus aliis virtutibus ab hoc divino exemplari dicendis intellegendum est. Hac enim condicione sublata, virtutes nostrae, ut mundanorum hominum, ut ethnicorum, non tam virtutes quam *artes* essent dicendae. Quinam enimvero huius tam necessarii documenti exsequendi modus aut praestantior aut efficacior esse potest, quam ipsius Cordis Iesu ducis nostri cultus, per contemplationem et amorem et imitationem sedulo exercitatus ?

Matth. 11, 29.

4° Scopus quem in cultu SS. Cordis sui proposuit sibi Dominus.

7. Quod si scopum, quem in cultu SSmi Cordis sui inter fideles introducendo sibi Dominus proposuit, consideremus, magis etiam intellegimus cur proprius ac peculiaris ille Societati nostrae esse debeat. Voluit scilicet Iesus, ut in hoc *fine saeculorum, dum refriguit iam caritas multorum* appropinquante tempore *defectionis*, quam re ipsa cernimus vix non ubique in dies magis praevalere, novo hoc remedio pii cultus SSmi Cordis sui succurreretur fidelibus, ne *in errorem* et laqueos *inducerentur etiam electi.* Quid vero magis conve-

Matth. 24, 12.

Ibid. 24.

niebat, quam ut Societas, divino Numine eo fine instituta ut velut novum esset militanti Ecclesiae subsidium ac robur, quo hostium undique ingruentium impetum reprimeret ac retunderet aut certe retardaret, hoc novo praesidio cultus SSmi Cordis ipsa potissimum utendum sibi esse intellegeret? Et quis est qui ignoret quantae efficaciae fuerit haec ipsa SSmi Cordis Iesu cultus propagatio, ad innumeros fideles conservandos, animandos, et ab universali quodam modo apostasia praeservandos? Cum enim quaquaversus debacchata impietas blasphemiis Iesum eiusque sanctissimam religionem impeteret, et coniuratorum in Ecclesiam agmina ad omnia sacra evertenda prorumperent, quanto fuit fidelibus praesidio, peculiari studio recolere amantissimi salvatoris beneficia, passionem eius et mortem et SSmae Eucharistiae institutionem, ac veluti demandatum sibi munus assumere reparandi iniurias, quae in hoc praesertim amoris Iesu mysterio ab apostatis, a falsis christianis, a pravis catholicis, ab ipsis adeo non paucis sacerdotibus inferuntur, in hoc sanctum opus sancto novoque ardore sese devovere, et sodalitates pias hunc in finem institutas inire, quae murum se opponerent pro domo Dei, quaeque nefandis consortiis consortia pia obicerent?

Concluditur Societatem peculiari modo ad hunc cultum exercendum et

8. Haec et his similia qui consideret, simulque Societatis finem, conservandi scilicet confirmandique sub Christi vexillo fideles et sub illud quam plurimos a Luciferi castris abductos congre-

promovendum vocari.

gandi, sibi ob oculos ponat, non erit profecto quod miretur a Iesu duce suo Societatem peculiari modo ad SSmi Cordis sui cultum exercendum et promovendum vocari atque compelli: neque erit quisquam inter nos, si tamen spiritu Societatis proprio agatur, qui invitanti vocantique Iesu ad Cordis sui cultum eo fine eoque animo quem diximus exercendum, non omni studio, prompto alacrique affectu, sibi respondendum esse sentiat.

Nec sufficit externum cultus exercitium; sed intimo animi affectu satisfaciamus ardenti SS. Cordis desiderio.

9. Scio equidem, Patres et Fratres carissimi, omnibus nostris illud esse commune atque in usu positum, ut aliquas in honorem SSmi Cordis Iesu preces cotidie persolvant, ut prima saltem feria sexta cuiusque mensis aliquid praeter consuetum in eiusdem SSmi Cordis honorem agant, et pro reparandis iniuriis Christo illatis in SSmo Sacramento deprecentur. Vix enim quemquam esse inter vos existimo, qui haec et similia pia obsequia sacratissimo Cordi praestare non soleat. At quod caput est, Patres Fratresque carissimi, illud est, ut haec omnia bene quidem *secundum consuetudinem*, non tamen *ex* mera consuetudine quantumvis pia fiant. Nobis itaque necesse est ut pia ista exercitia, animo semper exporrecto ad Iesu vota ac desideria de Cordis sui cultu explenda, mente et corde ipsi eiusque amori intime devotis frequentemus. Nobis necesse est, ut considerata temporum iniquitate ac perversorum hominum incredibili conatu in malum, eo ardentius in bonum Dei, Iesuque honorem in

nobis aliisque promovendum, cotidie nos excitamur. Nobis namque est, ut praesertim quotquot sacerdotes sumus, et divinum officium recitamus, et sacrum Missae sacrificium cotidie celebramus, utrumque in unione illius divinae intentionis, qua Iesus ipse in terris laudes Deo persolvebat, persolvamus. Atque omnes quidem id profiteri consuevimus sub ipsum horarum canonicarum initium, atque idem certe in sacro Missae sacrificio celebrando, si minus ore at corde saltem, praeclare censendi sumus; quibus quidem verbis ipsum Cor Iesu nobis ut exemplar affectuum nostrorum omnium in hac divina mysteria diserte proponimus. Haec itaque duo praecipua munera sacerdotalia ita exsequi studeamus necesse est, ut laudem Christo et honorem pro tam multis quibus impetitur cotidie, iniuriis ferventer exhibeamus; et viva fide ac pietate et amore intenso in sacro altaris sacrificio offerendo hominum ingratorum sive incuriam, sive contemptum et contumeliam, aliqua ratione resarcire conemur; ac demum, pro nostrae vocationis debito animarum zelo in nostris erga proximum ministeriis ardeamus. Haec omnia cultus Sacri Cordis nobis persuadebit.

Monent nos exempla grassantis perversorum impietas.

10. Quid enim, Patres Fratresque carissimi? Videmus quanto studio, quantoque labore impii homines suum prosequantur finem corrumpendi omnia; videmus quanta perseverantia suam rem, vel Luciferi potius, urgeant; videmus quam

magno, quam deplorando successu, vix non universali, id agant ; mundum videmus erroribus ac sceleribus magis ac magis in dies undique mergi. An, quaeso, siccis haec oculis, an frigido corde istas tantas ruinas spectare poterimus ? neque ad opponenda consilia consiliis, industriam industriae, operam operae, laborem labori excitabimur ? Quod si quandoque aliud agere non detur, nonne saltem *ad salvandas reliquias Israël* totos nos debere impendere et superimpendere intellegemus? An de cetero gemitibus et lacrimis Cor Iesu salutaris nostri, quoniam ad hoc ipse invitat et se exauditurum ita orantes promittit, ad misericordiam nobis mundoque implorandam non pulsabimus ?

Rom. 9, 27.

et studeamus cotidiana meditatione sensa SS. Cordis magis cognoscere,

11. Verum ad haec sensa in nobis excitanda semperque fovenda, illud potissimum commendandum vobis mihique ipsi sentio, Patres et Fratres carissimi, ut accurata meditatione, id quod etiam Iesus virgini suae maxime commendabat, ipsius SSmi Cordis sensa et affectus cognoscere cotidie magis studeamus. Id vero consequemur, si facta dictaque Iesu ex Evangelio pro nostro instituto meditantes, reflexione facta, ad Cordis ipsius affectus in his expendendos animum applicabimus. Quantum inde fructum ad nostram propriam perfectionem, quantum inde zeli ad proximorum salutem et perfectionem procurandam hauriemus, quantum in cognitione et amore, indeque in imitatione Christi Iesu proficiemus !

12. Iuverit, Patres et Fratres carissimi, Apostoli verba nobis applicare: *Nos autem*, inquit, *revelata facie, gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu. Nos*, qui Iesu socii dicimur et esse cupimus, *revelata facie*, non ut in antiqua lege, in figurarum aenigmatibus, sed, postquam *in terris visus est et cum hominibus conversatus est*, salvatorem Iesum quasi oculis nostris spectantes, *speciosum forma prae filiis hominum*, cuius *in labiis diffusa est gratia; nos*, inquam, *revelata facie gloriam Domini speculantes (omnis autem gloria eius*, plane ut *filiae regis*, maxime cum inter mortales ageret, *ab intus*, in Corde). *Cor* itaque Domini nostri *speculantes, in eandem imaginem* per imitationem *transformabimur, a claritate in claritatem*, a virtute in virtutem, a bono in melius, a perfecto in perfectius, in humilitatem semper profundiorem, in patientiam semper robustiorem, in mansuetudinem semper suaviorem, in oboedientiam semper generosiorem, in ardentiorem semper caritatem, in zelum semper fervidiorem simulque benigniorem, perfectiorem in omnibus actibus suis; idque non utique nostris viribus aut industria, sed *tamquam a Domini Spiritu*. Etenim si *nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*, quanto magis ad interiora Iesu aliquo modo penetranda, ad Cor eius sanctissimum contemplandum, Spiritus sancti gratia omnino necessaria est?

ut, secundum verba Apostoli, ab Ipso virtutes omnes nobis necessarias doceamur.

2. Cor. 3, 18.

Baruch 3, 38.

Ps. 44, 3.

Ibid. 14.

1. Cor. 12, 3.

et apertum eius latus ingredientes accipiamus : Ioan. 19, 34.

13. Verum hoc Spiritus sancti auxilio confisi, ipsoque Iesu ad hoc invitante, quoniam *latus eius* non percussum aut vulneratum in cruce, sed *apertum* ab Evangelista dicitur, ut S. Augustinus observat, ingredimini, quaeso, Patres et Fratres carissimi, ostium salutis, divinitatis sacrarium ; ac thesaurum infinitum virtutum et gratiarum in eo latentem speculando, contemplando et meditando vobis effodite, et inde quae ad vestram, quae ad aliorum salutem et perfectionem vobis necessaria sunt, accipite,

humilitatem;

14. Vultis humilitatem ? Videte qualis in omni vita sua, ab ipsa nativitate ad mortem usque, in omni actione sua Iesus fuerit ; videte quomodo habitus fuerit ab hominibus, idque ideo quia ipse ita elegit, ita haberi *ipse voluit* : et quae fuerint in Corde eius humilitatis sensa, quanta huius virtutis aestimatio et amor, discite.

mansuetudinem ;

15. Vultis mansuetudinem ? Videte Iesum inter homines plerumque rudes ac rusticanos conversantem, discipulos sibi eligentem, quae vel clarissimis verbis enuntiabat, plerumque non intellegentes ; iudaicis praeiudiciis ita occupatos, ut ad ultimum usque vitae eius tempus, usque ad ipsum eius in caelum ascensionis diem, adhuc temporale regnum et mundanam ambitionem somniarent : observate in omnibus verbis et factis eius, quam mira, quam divina suavitate eos admoneat, corrigat, portet velut in sinu suo, et quam sollicitus ab improborum contemptim eos increpantium

aggressione defendat. Et qualis quantaque sit illius Cordis dulcissima caritas et mansuetudo, ex aliqua saltem parte intellegite.

16. Vultis benignitatem? Videte viscera eius ad omnes humanas miserias intime commoveri. Viduam cernit plorantem unici filii sui mortem: *Noli flere*, inquit, et redivivum desolatae matri restituit. Mulierem in adulterio deprehensam ad se deductam videt, extremo supplicio destinatam: e malignorum accusatorum et iudicum manibus divino artificio ereptam compellat: *Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? nec ego te condemnabo: vade in pace, et noli amplius peccare.* Videt turbam defatigatam esurientem: *Misereor*, ait, *super turbam... deficient in via... quidam ex eis de longe venerunt...* et insigni prodigio tantae necessitati occurrit. At misericordiae et benignitatis eius tot sunt documenta, quot sunt in Evangelio descripta miracula. Verum qualia putatis fuisse Cordis illius sensa, quae in talia verba, in talia facta prorumpebant? benignitatem. Luc. 7, 13. Ioan 10, 11. Marc. 8, 2. 3.

17. Vultis in Patris caelestis beneplacitum resignationem et oboedientiam? Videte eum *pauperem et in laboribus a iuventute*, quin adeo ab infantia *sua, fugientem* crudelis Herodis iras; in materna domo vilibus distentum ministeriis, in humili opificio desudantem, totos triginta annos agere, vel ignotum hominibus, vel contemptum; et audite dicentem in omnibus: *Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te*; de ipsa sua tam atrocibus resignationem et oboedientiam; Ps. 87, 16. Matth. 11, 26.

plena ignominiis ac tormentis passenio et morte
Ioan. 18. 11. dicentem : *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum* ? et quae fuerit in illo Corde sui totius in omnia gravissima atque durissima oblatio plena, promptissima, generosissima, cognoscite.

zelum verum: 18. Ad apostolica munera exercenda vocati, vultis qualis esse zelus vester debeat, edoceri ? Videte Iesum pauperes, rudes, parvulos praecipuo amore
Matth. 18, 14. complectentem : *Talium est*, inquit, *regnum caelo-*
Ibid. 9, 13. *rum* Audite dicentem : *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Audite reprimentem nimios discipulorum ardores, ipsius honorem vindicare volen-
Luc. 9, 55. tium ; *Nescitis*, inquit, *cuius spiritus estis.* Videte summa semper benignitate cum peccatoribus etiam publicis agentem, ad invidiam usque et amaram censuram Pharisaeorum. Ubi vero cum hisce fictis falsisque adversariis, cum hypocritis agit, quos solos cum aliqua acerbitate reprehendisse legimus, advertite quae de illo irato scribit S. Marcus, c. 3 : *Circumspiciens eos cum ira, contristatus super caecitate eorum ;* et intellegetis, iram ipsam sanctissimam atque iustissimam in illo Corde, dolore et compassione fuisse temperatam.

modum regendi alios ; 19. Ad alios gubernandos vocatus, vis discere qua ratione imperii potestas tibi exercenda sit ? Vide Iesu in iubendo modestiam ; nimia fortasse tibi videbitur ; et tamen Iesus *ascendens in unam navim, quae erat Simonis,* ROGAVIT *eum,* ait Lucas, cap. 5, ROGAVIT Iesus Simonem, *a terra reducere*

pusillum. Eum ipsum scilicet esse vides, de quo alibi scriptum legis : *Tu autem Dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, et cum magna reverentia disponis nos* (Sap. c. 12). Discipulos suos rudes Vers 18.
et ignorantes docet patientissime, tolerat imperfectos, maestos et abiectos erigit et exhilarat. Quod si semel — semel, non amplius ni fallor — eum dure aliquem illorum increpasse legimus, tum scilicet fuit, cum discipulus ille imprudenti zelo pro eius ipsius honore eum a passione et morte subeunda tentabat avertere : *Vade retro, Satana,* Matth. 16, 23.
scandalum es mihi. Ast quae nobis Iesu vitam meditantibus non occurrent exempla uberiora et grandiora ! Cor illud benignissimum, vel cum ipso Iuda — quem furem esse, ac traditorem fore scelestissimum, ac tandem a se culpa suae perfidiae avulsum iri in aeternum, certa scientia noverat — ita exterius agere Iesum docuit, ita nihil suspicionis de eo manifestare, ita dissimulare omnia, ut nemini Apostolorum, cum in ultima cena denuntiare sibi audirent unum ex ipsis fore qui eum traderet, nemini eorum, inquam, in mentem venerit, illum unum fortasse Iudam esse posse vel leviter suspicari. Profecto qui Cor Iesu sibi proponat superior, nae ille intelleget S. Patris nostri verba, in formula Instituti Pontificibus ad approbandum oblata, de Societatis Praeposito — ex iis autem quae in Generali requiruntur, ceteri etiam Superiores, quid in se requiratur intellegere iubentur. P. IX. c. 6. — : *In*

praelatione sua, inquit, *benignitatis ac mansuetudinis, et caritatis Christi semper sit memor.* Quam equidem admonitionem tamquam ex ipso Corde Iesu descriptam merito existimemus.

sed praesertim amorem quo Cor illud SS. aestuat.

20. Pauca solum ego ad particularia descendens delibo, ut videtis, Patres et Fratres carissimi, sed numquid hanc *Domini gloriam speculari* poterimus quin, adiuvante ipsius *Domini Spiritu*, paulatim *in eandem imaginem transformemur*? De amore vero huius SSmi Cordis in nos quid dicemus ? Vereor sane ne pauca dicens nihil dixisse videar ; et tamen de illo tacere nonne nefas sit ? *Dilexit me*, inquit Apostolus, et quod Apostolus dixit, idem unicuique nostrum dicendum est : *Dilexit me et tradidit semet ipsum pro me.* Omnino *tradidit* semet ipsum Iesus, ita ut nihil de se sibi reservaret ; *tradidit semet ipsum*, et quorumnam manibus, Deus immortalis ! et ad quae, et qualia, ut in se et de se fierent, *tradidit* ? Videte Iesum, in omni primum vita, ab ipso conceptionis momento ad finem usque ; tum maxime in passione et morte sua, victimam pro nobis oblatam, *quia ipse voluit.* In illa passione tam acerba sibi, tam beata nobis, Cor illud amantissimum an forte nimium se pro nobis, quamvis indignissimis et ingratis, an nimium se fecisse aut passum esse existimavit ? *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Itaque *pridie quam pateretur, qua nocte tradebatur*, notate tempus et horam, ne semel obla-

Gal. 2, 20.

Is. 53, 7.

Ioan. 13, 1.

1. Cor. 11, 23.

tus in cruce victima esse nostra desineret, sacrosancta *corporis et sanguinis sui mysteria discipulis tradidit celebranda*, ut adeo post mortem etiam suam victima nostra esse numquam cessaret. Et *hoc facite*, ais, o bone Iesu, *in mei memoriam*. Est scilicet ardenter amantium, optare summopere ut sui memoria ab amato servetur. Et erat scilicet timendum, ne tui tuorumque immortalium beneficiorum recordatio apud nos excideret ? Ita plane. *Dilexisti me, et tradidisti temet ipsum pro me*, nec semel aut iterum tradidisse contentus, tradis te ipsum pro me cotidie semper ; semper victima nostra esse et manere statuis ; quin etiam in ipsa caelesti gloria hanc tibi victimae speciem servas, et victimam te nostram fuisse et esse gloriae tibi ducis ducesque sempiternae.

Canon Miss.

Luc. 22. 19.

quique inflammabit amorem nostrum ad toleranda fortiter adversa.

21. Ergo, Patres et Fratres carissimi, hunc tantum amorem in Corde Iesu latentem, sed tam miris ac magnificis argumentis se prodentem contemplantes, non admirabimur, non venerabimur, non amore sincero, ardenti, inflammato, semperque magis ardenti, magisque inflammato compensare aliquo modo statuemus ? Amor ille Cordis sui fuit Iesu ad magna pro nobis agenda et patienda stimulus numquam deficiens ; nonne vicissim et amor noster nequaquam verbis aut sterili affectu contentus, ad fortiter agendum et patiendum nos efficaciter excitabit, ita quidem ut *numquam dicat : sufficit ?* Cor Iesu contemplabimur amoris simul et doloris pelagus infinitum ; et non intellegemus,

Prov. 30, 15.

hosce duos affectus, amoris et doloris, nostrae etiam vitae veluti polos quosdam esse debere seu cardines, ut semper amor dolorem leniat, dolor perficiat amorem? Utinam versetur nobis semper ob oculos huius SSmi Cordis imago! In ea spinas, crucem et hians vulnus videmus, flammas item undique erumpentes; sunt haec doloris simul et amoris Iesu symbola; at vero radii, quibus Cor ipsum undequaque cinctum cernimus, non modo gloriam huius SSmi Cordis nobis repraesentant, sed et spiritualis luminis eiusque practici, quo maxime indigemus, copiam significant, et ex hoc SSmo Corde in omnes qui illud venerantur, ad illos illuminandos et accendendos diffunduntur. *Venite*, dicam, non amplius *venite et videte; gustate et videte.*

Ps. 33, 9.

Exhortatio ad socios dispersos.

22. Denique ad vos iam sermonem converto, Patres et Fratres carissimi, quorum dispersio et calamitas, ut hasce tandem litteras de Corde Iesu scriberem, occasionem proximam praebuerunt. Vos ego dispersos video, ut columbas quas vel taeter nimbus dissipavit, vel milvi conspectus fugere et asylum ubicumque tandem quaerere coegit. Sit vobis, sit omnibus nobis Cor Iesu perfugium in tempestate securissimum; ad hoc ipsum apertum est lancea latus Iesu, ut nos reciperet verum *foramen petrae* vivae, quae Christus est. *In foraminibus petrae, in caverna maceriae* (Cant. 2.), erit in hoc SSmo Corde omnibus nobis locus; Cor enim est amplissimum; habet Iesus, melius quam qui

Vers. 14.

figura eius fuit Salomon, *latitudinem cordis, sicut* 3. Reg. 4, 29.
arenam quae est in litore maris. In hoc SSmo Corde
suo, melius etiam quam *in abscondito faciei suae,*
abscondet nos Iesus *a conturbatione hominum...*
(Ps. 30), *salvos nos faciet a pusillanimitate spiritus,* Vers. 21.
et tempestate (Ps. 54). In hoc Corde discemus, Vers. 9.
quod maxime nobis necessarium est, *rapinam*
bonorum cum gaudio sustinere, scientes nos habere Heb. 10, 34.
meliorem et manentem substantiam; discemus exsi-
lium cum exsultatione subire, *quoniam non habemus* Heb. 13, 14.
hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.
In hoc discemus omnia damna nostra, lucra repu-
tare; de paupertatis incommodis, ut de lectissi-
mis paradisi fructibus laetari; ignominiam pro
illo summum nobis honorem praeter omne meri-
tum nobis concessum aestimare. Quicquid demum
angustiarum, quicquid poenarum obtigerit, omnes
illas poenas et angustias nostras, singulorum
simul et universorum, primum Cor illud susti-
nuisse pro nobis intellegemus; quoniam, ut *ini-*
quitates omnium nostrum, ita poenas et onera Is. 53, 11.
omnium *portavit.* In illo afflicti solacium, gravati
et onerati levamen, debiles et vacillantes firmissi-
mum praesidium, timentes et pavidi animum
generosum, et quando etiam omnis humana ratio
sperandi meliora sublata videatur, spem et fidu-
ciam reperiemus fore ut *non in perpetuum irasca-* Ps. 102, 9.
tur, neque in aeternum comminetur benignissimus
noster Iesus.

23. Equidem, Patres et Fratres carissimi, hanc Emerget ex

hac tempestate Societas.

ego spem indubitatam foveo. Emerget ex hac tanta, tam taetra tempestate Societas, et spero purior et vegetior emerget, et gratior divinae maiestatis oculis, et ad gloriam eius promovendam aptior quam adhuc fuit atque paratior. *Reposita est haec spes mea in sinu meo.* Hunc tam faustum, tam optatum exitum ut habeant afflictae res nostrae, utque *abbrevientur dies isti*, qui probationis ac tentationis dies sunt, utque cunctis det Dominus virtutem *in his omnibus superandi propter eum* qui *dilexit nos*, nec *inferamus crimen gloriae nostrae*, nec *matrem* Societatem *contristemus*, nec Domino amanter nos visitanti eiusque amantissimis de nobis consiliis desimus, SSmi Cordis Iesu cultum novo fervore diligentius in nobis foveamus.

Iob. 19, 27.

Matth. 24, 22.

Rom. 8, 37.

1. Mach. 9, 10.

Quaedam praestanda.

24. Ut autem aliquid etiam in particulari praescribam : proximum SSmi Cordis Iesu festum, quantum loci cuiusque ac temporum ratio permittet, cum sollemnitate celebrabitur ; praemittetur in communi triduum, quo singulis diebus media hora dabitur orationi coram exposito SS. Sacramento tempore opportuniore ante cenam, et in uno ex his tribus diebus, a superiore statuendo, fiet ieiunium et disciplina. Ceterum orent omnes SSmum Cor Iesu ad intentionem nostram, quae alia non est, nisi ut de inexhausto illo gratiarum thesauro misericordiam suam magnam et miserationes suas multas, tum super Societatem nostram et maxime super socios dispersos, tum super Ecclesiam universam eiusque

caput Romanum Pontificem, denique super mundum universum dignetur effundere. Respiciat enim nos tantum et misereatur, et sufficit nobis.

25. Finem hisce litteris imponam illis verbis quibus S. Petrus suam secundam epistolam conclusit ; *Crescite in gratia et cognitione Domini nostri, et Salvatoris Iesu Christi* (Ep. II. S. Petri, c. 3.). Hoc dabit SSmi Cordis eius cultus, qualem vobis hisce litteris exposui et commendavi, languide licet nimis et frigide ; sed ipsum Cor Iesu ad se accedentes illuminabit et accendet. Crescentes in cognitione, et in amore crescetis, et amorem sequetur imitatio ; ipsaque rursus imitatio et amorem pariter et cognitionem usque et usque crescere faciet, aptioresque in dies nos reddet ad cognitionem et amorem Iesu, in quo est vita aeterna, in proximorum etiam animis pro nostra vocatione promovendum. *Crescite in gratia et cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi. Ipsi gloria, et nunc, et in diem aeternitatis. Amen.* Conclusio. Vers. 18.

Omnium vestrum SS. Sacrificiis et precibus me enixe commendo.

Omnium in Christo servus,

...*Octava Ascensionis Domini*, M.D.CCC.XLVIII,

IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE CULTU PURISSIMI CORDIS MARIAE

Epistola haec velut corollarium est praecedentis.

1. Nuper, tot ac tantis calamitatibus pressi, ut in sanctissimo Corde Iesu refugium quaereremus, litteris datis ad universam Societatem omnes adhortatus sum Patres et Fratres carissimos. Imperfectam esse adhortationem, imperfectum proposuisse me remedium existimarem, nisi appropinquante purissimi Cordis Mariae festo, ad huius etiam cultum, quamvis omnes satis fere iam incensos non dubitem, pro necessitatibus tamen nostris, paucis vos excitarem. Etenim, ut S. Bernardus ait, *opus est mediatore ad Mediatorem Christum, nec alter nobis utilior, quam* Maria. Itaque videmus, quandocumque ad colendum Iesum Salvatorem novae institutae fuere lapsu temporis festivitates, mox analogas, proprio quodam Ecclesiae instinctu introductas fuisse ad Dei Matrem simili modo colendam ; quoniam, ut ad Patrem per Iesum, ita ad Iesum per Mariam accedendum esse, axiomatis instar semper habitum est ; cum Iesus Mediatoris quidem sed simul et Iudicis personam gerat, Maria non nisi Matris, et Iesu et nostrae.

2. Hinc ubi primum Cordis Iesu cultus, divino numine publice haberi coepit, mox etiam cultus purissimi Cordis Mariae frequentari inter fideles non cessavit. Nec minus Societas, quae sese totam esse Mariae inde a parente Ignatio professa semper est, uti Iesu Cordis SSmi, ita et cultum immaculati Mariae Cordis promovere numquam destitit. Addite, Patres et Fratres carissimi, quae hisce postremis annis Deus non obscura dedit suae voluntatis indicia, tam multis editis prodigiis per institutam Parisiis sodalitatem sub invocatione purissimi Cordis Mariae *pro conversione peccatorum*, quae brevi tempore fructus salutis per universum orbem tam amplos tamque mirandos protulit, ut nihil simile in annalibus Ecclesiae per omnia retro saecula reperiatur. Addite quod nos ipsi Romae, anno 1837, experimento didicimus, quam sit in materno Mariae Corde praesidium efficax et salutare. Scilicet in lue asiatica Romae tum furente, cum ter centum eoque amplius socii in Urbe essemus, quorum plerique per omne tempus quod lues tenuit, inter aegros et moribundos, interque etiam cadavera infecta versarentur diu noctuque, voto nuncupato in huius purissimi Cordis honorem, patrocinium potentissimum ita sensimus, ut non modo neminem amissum lugeremus, sed ne tactum quidem morbo habuerimus vel unum e sociis, praeter omnem sane exspectationem, ac secus omnino quam alibi acciderat ; ut nihil dicam de potiore etiam Matris optimae favore, quae

Societas, sese totam esse Mariae semper professa.

anno 1837, Romae, ejus patrocinium experta.

tales inter illa pericula timidis etiam maxime ac trepidantibus sociis animos indidit, ut nemo fuerit qui non libenter lue tactorum auxilio et solacio sese impenderet ac superimpenderet, totius Urbis non minore admiratione quam aedificatione gratique animi significatione sollemni. Quam ergo Mater clemens et pia, sub immaculati Cordis sui nomine invocata, in illo periculo opem tulit, hanc in praesenti etiam calamitate allaturam, quidni fidenter speremus?

in praesenti etiam calamitate illam nobis auxiliaturam speret.

3. Quare, Patres et Fratres carissimi, proximum Cordis immaculati festum, quod in dominicam post octavam Assumptionis eiusdem Virginis incidit, ita celebrari a nobis cupio, ut huius piissimi cultus promotionem peculiari modo cordi nobis esse palam fiat. Sabbato festum praecedente ieiunium praemittamus. *Bona* enim *est oratio cum ieiunio.* Ipso vero die festo sacrum faciant patres, fratres coronam recitent, pro praesentibus Societatis necessitatibus.

Quare quaedam praestanda in proximo festo Cordis Immaculati.

Tob. 12, 8.

4. Oremus autem, Patres et Fratres carissimi, supplicemus Cordi piissimo, ut ipsum *laudari se* a nobis, a Societate universa, *dignetur*, eamque quamvis adeo imminutam defendat, protegat, servet, in iis praesertim sedibus in quibus adhuc subsistere sinitur. Oremus, supplicemus Cordi piissimo, ut socii omnes, accurata legum nostrarum observantia, beneque merendo de omnibus deque sancta Matre Ecclesia, Virginis optimae protectionem porro promereri conten-

Quid nobis orandum.

dant. Oremus et supplicemus Cordi piissimo, praesertim quotquot sumus socii dispersi, ut hoc tentationis ac probationis tempore ad salutem et perfectionem nostram utamur, *ut fiat* nobis *cum tentatione proventus.* Impetret omnibus Mater clementissima constantiam in tribulatione, et qui a solitis ministeriis impediti sunt, illis gratiam imploret bene utendi isto otio, ad animos praeparandos, ad recolenda studia sacra, ad orandum prolixius, denique ad reddendos se magis idoneos divino operi, quando dabitur denuo in Domini vinea laborare: si *lux mundi* esse per ministeria publica prohibemur, *sal terrae* esse per privatam conversationem verbo et exemplo unus quisque studeat; nemo diffluat, nemo torpescat, nemo deficiat; nisi forte sint qui *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis* (Io. Ep. I. c. 2). Vers. 19. Nam quod *ventilabrum* sit *in manu* Domini, quod *purget aream suam*, id non modo noxium non erit Societati, sed optandum maxime *ut et qui probati* 1. Cor. 11, 19. *sunt, manifesti fiant in nobis.* Horum e numero ut quisque sit et esse perseveret, ad Matris Cor piissimum Iesuque simillimum semper respiciat, illudque non colere solum piis precibus, sed et imitari omni studio conetur.

Sanctis Sacrificiis me impense commendo,
Die 24 iunii 1848,

Vester in Christo servus,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

PRIMUM PRO ITALIA TANTUM, POSTMODUM ALIIS PROVINCIIS COMMUNICATA

DE SPE EX PRAETERITIS CALAMITATIBUS CONCEPTA

Occasio scribendi.

1. Grande solacium, Patres et Fratres carissimi, afferre nobis dignata est divina bonitas, cum die 21ª elapsi septembris in basilica Vaticana gaudere nos fecit sollemni beatificatione B. Petri Claver; et paucis diebus post novo nos gaudio cumulavit, cum promulgaretur decretum SS. D. N. Papae Pii IX, quo declaratum est Martyrium *signis et miraculis a Deo ita illustratum et confirmatum,* ut quandocumque procedi possit ad beatificationem vel canonizationem Ven. Patris Ioannis de Britto Missionarii et Martyris Madurensis, qui et ipse Societatis est filius. Hac occasione, Patres et Fratres carissimi, non possum quin vobiscum paucis saltem sensa illa communicem, quae a tempore quo in domos nostras post saevam procellam remigravimus, animo meo alte infixa haerent, quaeque manifestare per litteras temporis augustiae mihi usque adhuc non concesserunt. Nunc autem, ut id ultra non diffe-

ratur, inter alia et illa plane singularia me incitant, quae in ultimi huius decreti promulgatione accidisse et ego et alii mecum observarunt. Facta est haec promulgatio ritu solito sollemniore die S^e^ Michaeli sacra, in templo hospitii Innocentiani, sub invocatione huius caelestis militiae principis, magno hominum lectissimorum e clero et populo concursu.

Quid dixerit gratias agens summo Pontifici;

2. Decreto per S. R. C. Secretarium publice lecto, ego pro more brevi sermone Sanctissimo Patri gratias egi, simulque exsultationis nostrae sensa declaravi, quod Deus, *qui mortificat et vivificat*, solidas eiusmodi et caelestes consolationes nobis eo ipso tempore concedere voluerit, quo tantis tribulationibus Societatis fidem probare dignatus est et adhuc probat. Et postquam dixissem me in his non posse non agnoscere benignissimam providentiam, cuius Sanctissimus Pater fidelissimus et tutissimus esset interpres et instrumentum benevolentissimum, subiunxi verbis a me prius in hunc modum non praeparatis: *Persuasum mihi esse Deum Dominum nostrum per haec magis magisque animare et excitare nos velle ad excutiendam nostram tepiditatem et ad imitanda, vel saltem aemulanda egregia fratrum nostrorum maiorum exempla.*

quid Pontifex responderit.

3. Ad hunc meum sermonem Sanctissimus Pater, ut est consuetudo, respondit; sed non consueto modo: respondit enim oratione solito longiore, voce alta et sonora, dicens inter alia:

Illud Societati Iesu cum Ecclesia commune esse, ut doloris et gaudii vicissitudines experiatur, et cursum suum medias inter procellas et tempestates teneat et prosequatur. Tum mihi et Societati gratulatus benignissima verba adiecit, quibus nos adhortatus est ad constanter exercendas virtutes vocationis nostrae proprias: *abnegationis scilicet nostri ipsorum, mundi despicientiae et caritatis.* Ad astantes dein conversus: *Itaque*, ait, *quae Societati dico, ut Patrum suorum vestigiis insistendo in coeptis pergat, omnibus, et clero specialiter, dicta velim; etenim sine sui abnegatione, sine mundi despicientia non potest stare caritas, nec sine caritate sanctitas.*

modo, simili occasione et loco, plane insolito.

4. Postquam verbis ardentissimis has veritates omnibus inculcasset, SS. Pater mihi, toti Societati et clero universo impertitus est Apostolicam benedictionem, quam Praelati aeque ac ceteri astantes flexis genibus exceperunt. Haec omnia, uti iam dixi, SS. Pater voce firma et incitata protulit, modo, simili occasione et loco, plane insolito. Neque ego solus fui, iterum dico, qui, quod in hac Sancti Patris agendi et dicendi ratione prorsus erat singulare, observarim; non minus enim ea res et alios, qui saepius iam eiusmodi sacris ritibus interfuerant, admiratione affecit.

In abnegatione nostri, despicientia mundi et

5. Iam vero, Patres et Fratres carissimi, nostrarum sane partium esse arbitror, ut, quotquot Societatis sumus, haec iusta adeo et sancta verba,

tam sollemniter a Vicario Iesu Christi nobis inculcata, gravissime advertamus; ea enim continent quibus maxime nobis opus est, ut vocationi nostrae, ut instituto nostro respondeamus. Hoc autem totum in his virtutibus versatur: primum quidem in nostri ipsorum abnegatione et mundi despicientia, dein in exercitio caritatis. Immo his virtutibus innititur tota praxis evangelii a Christo Domino nobis traditi, et a S. P. N. Ignatio practice nobis applicati in suis exercitiis spiritualibus, in quibus tamquam in germine continentur constitutiones et regulae nostrae, quae vicissim variis modis easdem virtutes, praecipue vero nostri abnegationem tamquam principium practicum et totius aedificii spiritualis fundamentum nobis commendant. Qua propria abnegatione deficiente, Christus Iesus terribilem illam suam denuntiat et ingeminat sententiam: *Non potest, non potest meus esse discipulus; — Non est, non est me dignus.*

caritate versatur totum Institutum nostrum.

Luc. 14, 33. Matth. 10, 37.

6. Scitis, Patres et Fratres carissimi, a tempore quo gravissimum onus sollicitudinis totius Societatis mihi impositum vidi, me voce et litteris ad universam Societatem datis non cessasse a commendanda, quo poteram spiritus ardore et intensissimo studio, maxima hac obligatione, tamquam condicione sine qua non possumus tales esse, quales nos vult S. Pater noster eiusque Institutum. Hoc primis meis litteris *de amore Societatis Iesu et Instituti nostri*; hoc aliis, decursu

Ad quas virtutes, iam antea saepe hortatus,

plus quam viginti annorum operosae meae administrationis scriptis litteris inculcavi. Et cum *de exercitiorum spiritualium studio et usu*, et cum recurrente anno saeculari Societatis nostrae scriberem, et alia quacumque occasione vos excitare conatus sum ad tantopere desideratam et adeo semper necessariam spiritus renovationem.

ut denuo excitet, post saevas procellas,

7. Nunc ergo, Patres Fratresque carissimi, quales sumus in hac re? Aperte vobis confiteor spinam cordi meo haerere acutissimam, quae me diu noctuque transfigit. Cum scilicet procellas illas, quae a pluribus annis impendebant, tandem in Societatem nostram, in Italia specialiter, erumpere viderem, me ipsum de tantis calamitatibus consolabar, dicens tacitus intra me: " Ecce advenit tempus, quo Dominus ipse in nobis omnibus renovationem spiritus est operaturus; *ecce* accepit *ventilabrum in manu sua; ecce purgabit aream suam*, et O! quam speciosa, quam renovata in spiritu fervoris, optima hominum aetate digno, prodibit ex his aerumnis Societas, quando dispersa eius membra, illi scilicet socii iterum coniungentur, qui in medio tantarum et tam acerbarum vexationum salvi et vocationi suae fideles remanserint! „ Haec mecum volvens solabar in Domino, et fratres nostri, qui me viderunt in variis extra Italiam provinciis, quas ad instar peregrinantis invisere mihi contigit, tranquillam, immo laetam fiduciam observare poterant, quam non minus animo alebam quam extrinsecus quoque manifestabam.

8. Interea tempestas sedata est, idque longe celerius quam sperari humano modo poterat. Non expletis duobus annis, quasi miraculo in plerasque domos nostras quas vi compulsi deserere debueramus, remigravimus ; iterumque qui post horrendum cataclysmum superstites fuimus, convenimus. Et quod magis mirandum, vehementer desideramur, etiam atque etiam requirimur, in illis etiam locis ubi paulo ante ipsum nomen nostrum implacabili odio et exsecrationi esse videbatur. Verum enimvero una cum tantis causis consolationis et gaudii in Domino, quid videmus ? Ego quae video, Patres mei et Fratres carissimi, dicam vobis eo animi candore, quem in conspectu Domini vobis debeo, et ob illam fidelitatem, quam dilectissima mater nostra Societas, quae mihi vita ipsa miliens carior est, et esse debet, a me requirit. Quid igitur video ? quid observo ? Video utique et observo, non sine exsultantis animi gaudio, non paucos nostros, qui sicuti ante ultimas has calamitates optimo erant in Societate exemplo, homines quales vult, immo quales S. Ignatius formatos in Societate homines esse debere praesumit, *homines vere spirituales, vere humiles et prudentes in Christo* ; et sicuti diebus procellosis tales permanserunt, suae nempe vocationis semper memores, omni studio, quantum per temporum adiuncta licuit, in promovendo duplici Societatis fine, propriae scilicet et proximorum sanctificationi intenti, ita et nunc

inquirit quales simus in spiritu : ferventioresne,

iidem sunt et manent *gaudium et corona nostra in Domino.*

an minus fervent es :

9. Ast video etiam et observo ex altera parte esse adhuc inter nos, nunc quoque, postquam vox Domini nos visitantis ita intonuit, ut non solum dormientes excitare ad salutem, sed etiam si qui mortui fuissent ad vitam revocare debuisset ; esse adhuc, dico, qui sicuti ante dispersionem erant, nunc quoque exigui sunt fervoris, exiguae observantiae, et ideo etiam exiguae aedificationis ; sui suorumque commodorum amantes, propriae existimationis et vanae hominum opinionis studiosissimi ; reprehensionum et animadversionum a parte superiorum impatientissimi, ad oboediendum difficiles, e quibus quaerendum potius : *quid vis ut faciam tibi ?* quam ut operam suam pro tempore et necessitate libere adhiberi sinant. Animadverto inter nostros reperiri — quorum eheu ! quamvis pauci forte, immo paucissimi sint, non ideo tamen sine acerbissimo cordis dolore memorare possum — qui reduces ex dispersione tales se exhibeant quales ante erant : admodum imperfecti, otii magis quam laboris cupidi, officiis ab oboedientia sibi impositis eo languore fungentes, qui non solum menti Societatis vehementer contradicit, sed infaustis quoque quae vivimus temporibus minime convenit ; quibus temporibus si quod est in humanis remedium, non alibi quaerendum quam in ardenti zelo operariorum evangelicorum, qui spiritu Dei

quamquam praesens tempus maximum fervorem postulat,

repleti, prompti sint ad quoscumque perferendos labores, ad quaecumque sacrificia facienda, *apponentes se murum pro domo Dei, et qui se impendant et superimpendant pro animabus.* O Patres mei et Fratres carissimi, si hoc spiritu animati essemus omnes, superiores et subditi, et praedicatores et professores et magistri et scholares et coadiutores, quilibet in suo gradu et officio, vere et proprie intendentes fini vocationis nostrae, nemine quaerente *quae sua sunt, sed quae Iesu Christi*, numquid non putatis longe alios fructus e tantis et tam diversis nostris ministeriis fore colligendos ? Et quamvis pauci simus ad satisfaciendum laboribus qui ex omni parte urgent, nonne nihilo minus, paucis pro multis laborantibus, opera nostra numero etiam amplificarentur ? Sed heu ! nescio quid sit. Timor me subinde incessit ne Societas ipsa alicubi partem habeat illius incuriae, illius indifferentiae, illius defectus zeli industrii, nervosi et efficacis, quem defectum in tanto civium, bonorum etiam, numero quasi generatim cum dolore animadvertimus, cum interim perversi homines in rebus agendis incredibilem, et ut ita dicam infernalem prae se ferant vim et efficacitatem.

Ezech. 13, 5. 2. Cor 7, 15.

10. Perpendamus, Patres mei Fratresque carissimi, quid Ecclesia, quid ipsi homines saeculi a nobis hisce temporibus exspectent. Et id nobis persuadeamus : si non sumus parati ad generosum sacrificium nostri ipsorum, propriarum nostrarum delectationum, commodorum nostro-

exspectat Ecclesia Dei.

rum, verbo, ad sacrificium amoris proprii ; non possumus esse *de semine illorum per quos salus facta est in Israël.*

1. Mach. 5, 26.

et requirunt exempla Maiorum nostrorum.

11. Inspiciamus exempla maiorum nostrorum. Erant profecto heroes virtutis, et ideo etiam heroes zeli mirum in modum fructuosi. Non ii solum quos aris impositos colimus, sed quam multi, quam multi alii iustam nobis rationem tribuunt dicendi : *Filii Sanctorum sumus ?* Immo iure credimus, *propter Patres* tantas a Deo misericordias ultra omne meritum nostrum in nos diffundi. Tam copiosis autem et tam gloriosis exemplis ecquid non moveremur et excitaremur !

Tob. 12, 5.

Refellitur obiectio.

12. Scio equidem, Patres et Fratres carissimi, non posse hominem *accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de caelo ;* scio a Deo, dum dona distribuit, non omnia omnibus dari ; sed et illud scio, liberalissimum Deum dare *omnibus affluenter.* Scio Dei promissionem fallere non posse : *Pater dabit Spiritum bonum petentibus se* ; et illud scio, qui hunc Spiritum non poscit, vel poscendo ea non removet quae ne detur Spiritus obstant et impediunt, scio, inquam, talem non accepturum illum Spiritum, quem manibus pedibusque repellit, mansurumque proinde in miseranda sua mediocritate et ignavia.

Ioan. 3, 27.

Concluditur.

13. O Patres et Fratres carissimi, exsuscitemus nos, et benignissimo Deo in novis Beatis nova exempla simul et praesidia nobis exhibente, multiplicatis intercessoribus, multiplicemus et

preces nostras, et preces fundentes in illud simul incumbamus, ut maiore cum ardore nosmet ipsos vincamus. Nostis enim illud : *Vince te ipsum* fuisse grande et sollemne axioma S. P. nostri, a quo magnus Xaverius illud accepit, acceptumque unice fere suis in Indiarum apostolatu sociis inculcabat.

14. Vobis, Patres et Fratres carissimi, generosum hunc spiritum, proprium Societatis nostrae, ex animo apprecans, vestris SS. SS. et orationibus me commendo, ut eundem Spiritum mihi, tanto dono maxime indigenti, impetretis,

Reverendi Patres et Fratres Carissimi,

Romae, X Octobris M. D. CCC. LI.

Omnium Vestrum servus in Christo,
IOANNIS ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. PETRI BECKX

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS IESU

DE VOTORUM OBSERVANTIA

Socios paterno affectu salutatos

1. Quod iam dudum vehementer optabam, reverendi Patres et Fratres in Christo carissimi, ut cum coram non liceret, per litteras saltem animi mei erga vos affectum exprimerem, id nunc denique, cum a negotiis quae, ut bene nostis, multa semper et gravia me occupant, sin minus liberum, aliquanto tamen solutiorem me videam, exsequi in Domino statui.

pro munere suo

Ac primum quidem, reverendi Patres et Fratres carissimi, quoniam universae Societatis regimen ex divina voluntatis inscrutabili dispositione mihi commissum est, vos omnes paterno affectu in Christo Iesu saluto et peramanter amplector, illud enixe a Deo efflagitans, ut perfecti sitis omnes et stetis in vocatione vestra, ac abundetis cotidie magis in omni opere bono atque perfecto.

gravi, praesertim his temporibus,

2. Equidem optime intellego et intime sentio, quanti momenti officium quantique ponderis onus

umeris meis, heu nimis debilibus, a sancta oboedientia impositum susceperim, cum praesertim hoc munus, quod gravissimum semper sua sponte exstitit, in praesenti habeat administrationem multis ac permolestis curis plenam atque impeditam. Societatis quippe nostrae praesens condicio in plerisque provinciis peculiares suas offendit difficultates, temporibus anteactis fere incognitas. Aetas ipsa qua vivimus et incertus rerum publicarum status novas fere cotidie suscitat curas, nova offert discrimina: quae quidem vos omnes probe cognoscitis, quaeque pro suo quisque modo omnes sentimus. Cum igitur regendae Societati videam praepositum me, atque eo potissimum tempore videam, quo communis utilitas eximiam quandam requireret consilii, prudentiae, sapientiae ac fortitudinis vim, cum regio propheta exclamare libet: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris!* Ps. 117, 23. Sed hac ipsa de causa, quod de Dei dispositione dubitare mihi non liceat, nihil aliud superesse video, quam ut me quanta possum maxima animi demissione illius voluntati subiciam, qui infirma mundi elegit, *ut non glorietur omnis caro in conspectu eius.* 1. Cor. 1, 29. Illud vero non parum me consolatur, quod luculentius inde constabit, quam vere scripserit sanctus parens noster Ignatius in prooemio constitutionum: *Summam sapientiam et bonitatem Dei creatoris nostri Domini esse, quae conservatura est, gubernatura atque promotura in suo sancto servitio hanc minimam Societa-* Prooem. Const. §. 1.

tem Iesu, ut eam dignata est inchoare. Haec, inquam, sancti parentis sententia incredibiliter me recreat atque confirmat, ut deposito omni humano timore plena in Deum fiducia onus ceteroqui gravissimum ac formidandum, non modo patiens, sed et firmus et erectus sustineam. Magnam praeterea spem repositam mihi esse video in nostra omnium caritate et benevolentia, quos et consilio et opere, ubicumque opus fuerit, et piis ad Deum precibus mihi numquam defuturos esse spero atque confido. Ne autem ad munus impositum bene gerendum operi ac labori ulla ratione parcam, vehementer me impellunt exempla summorum virorum, qui illud ante me egregia cum laude tenuerunt : versatur vero mihi potissimum ob oculos Ioannes Roothaan decessor meus, cuius in agendo singularem prudentiam, in gubernando eximiam caritatem ac fortitudinem, in perferendis arduis invictam constantiam, erga Societatem miram fidelitatem, et in omni vitae tenore praeclaram modestiam ac sanctitatem totiens demirati sumus, et gratissima usque memoria recolimus. Haec, inquam, cari parentis in Societatem merita dum grata mente commemoro, vos et ipsius et meo nomine obtestor, ut ad eum perfectionis gradum pertingere nitamini, ad quem tum praeclaris suis exemplis, tum paternis suis monitis atque doctrinis nos totiens provocavit. Scitis enim toto gubernationis suae tempore nil aliud eum quaesivisse, nil aliud anhelasse, quam ut essemus sancti

ad exemplum decessoris sui,

omnes et accepti coram Deo, et ut talis esset nostra Societas, qualis ex mente sancti nostri fundatoris esse debet, talis, inquam, ut per omnia Deo placeat, et apta ac digna inveniatur ad promovendam assidue divinam gloriam et ad animas immortales caelo inserendas.

3. Dum vero maiorum exemplis vestrum excito fervorem, ut ad sanctissimi nostri Instituti assequendam perfectionem pro viribus incumbatis, mei quidem animi vehementissimum exprimo desiderium, sed voluntati etiam proximae generalis congregationis obsecundo. Patrum enim qui ad eam convenerant, una erant omnium sententia, una vox, nihil tam necessarium esse, nostro maxime tempore, nihil tantopere curandum, quam ut quisque in solidarum virtutum profectum naviter incumbat, si in hac summa temporum inconstantia ac iniquitate, tum Societatis saluti et incolumitati providere, tum sublimem eius scopum assequi velimus. Suscitemus ergo in nobis spiritum qui datus est nobis, spiritum qui Sanctos, quotquot in Societate floruerunt, deduxit per vias rectas, quique eos et verbo et opere fecit potentes et vitae sanctitate Deo acceptos.

et ex sententia proximae Congr. Gen., exhortatur omnes ad perfectionem

4. Licet autem magnopere cupiam *ut ambuletis digne Deo per omnia placentes... in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius*, tamen vos in primis hortandos existimavi ad ea fideliter sancteque praestanda, quae Deo *votorum sponsione* debetis. In his enim totius religiosae perfectio-

Coloss. 1. 10, 11.

assequendam per fidelem votorum observantiam.

nis summa, in his mystici holocausti quod divino numini obtulimus, integra et adaequata ratio continetur. Dum vero de votis vobiscum ago, eorum certe decus ac dignitatem minime necesse est pluribus demonstrare. Nisi enim perfecte cognitum et comprehensum animo habuissetis quae et quanta insit utilitas ac praestantia in Paupertate, Castitate et Oboedientia sponte ac libere pro Christi amore suscepta, numquam utique essetis hoc vitae institutum amplexi. Verum si magna in eis et sublimis sanctitas continetur, magno etiam et summo studio satagendum est ut a nobis perfecte serventur ; et eo quidem magis, quo pluribus in locis, quae temporis nostri summa iniuria est, non nisi per viam spinis et vepribus obsitam incedere potest nostra Societas ; unde votorum perfecta custodia, nisi diligentissime caveamus, haud levibus obicietur periculis. Continua ergo et summa vigilandum est cura, ut quae Deo promisimus sancte et integre praestemus. Qua in re nemo sibi persuaserit suo se debito satisfacturum, si nihil flagitiosi contra vota admiserit, nihil quod ad peccatum proxime accedit praesumpserit. Ut alia praetermittam quae vos minime fugere possunt, animi sane nimium angusti, ne dicam vilis et abiecti foret, qui non solum de Deo ac Domino nostro, cuius servitio se totum devovit, sed de ipso hoc quod profitetur vitae instituto tam indigne sentiret. Sancta, quaeso, sancte tractemus ; et dum divinae miserationis favore ad hoc

sanctum vitae genus fuimus assumpti, toto etiam animo in id incumbamus, ut praeclaro quo gloriamur nomine IESU, per omnia digni simus, eiusque genuini socii appellari et esse mereamur.

5. Atque ut primum de paupertate dicam, probe vos nostis, reverendi Patres et Fratres carissimi, quanti sanctus Pater noster virtutem hanc fecerit, quam diligenter voluerit in Societate servatam. Neque vero immerito paupertatem tuendae sanctitatis murum appellat, cum sine ea nec ad religiosam perfectionem pertingere possimus, nec in ea tuti consistere. Secundum Apostoli doctrinam: *Radix omnium malorum est cupiditas;* unde aptissime arguit S. Aug., quod *Christus, qui in hoc apparuit ut diaboli dissolveret opera, huius cupiditatis oppositum summo debuit affectu complecti, exemplo ostendere et verbo praedicare.* Atque ita Salvator ait: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et veni, sequere me.* Et iterum: *Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Quid autem divinus magister omnibus qui eum imitari voluerint hisce verbis commendat, id iis qui sub crucis vexillo in hac Societate Christo militare statuerint, potiore iure praestandum esse dubitare minime possumus: atque hanc fuisse sancti Ignatii mentem et verba eius et facta demonstrant. Divina quippe illustratione cognoverat beatus Pater noster, Societatis robur ac fortitudinem paupertate maxime muniri, ac ab huius virtutis fideli custodia religiosae dis-

In primis Paupertatem quanti fecerit S. Ignatius, ostendunt eius praecepta:

1. Tim. 6. 10.

De Civ. Dei.

Matth. 19, 21.

Luc. 14, 33.

ciplinae nitorem ac perfectionem pendere : salva fore omnia, dum illibata servabitur paupertatis integritas ; Ordinem vero universum extrema subiturum esse discrimina, si sanctae paupertatis leges impune umquam vilipenderentur. Hinc peculiaris illa sancti parentis cura et sollicitudo, qua virtutem hanc tam saepe tamque enixe nobis commendat ; hinc vocabula illa tenerrima, quibus eam appellat nosque ad eius amorem et cultum provocat ; hinc sanctae illae industriae et cautelae, quibus eam salvam perpetuo et tutam esse voluit. Ea autem sancti parentis mens est atque voluntas, ut paupertatem non solum aequo patientique animo sustineamus, dum forte dura ac ineluctabilis nos premit necessitas ; sed illud praecipit, illud a nobis omnino requirit, ut paupertatem magni faciamus, ut eam ultro et studio quaeramus, ut eam ardenter amemus ac Iesu amore cum gaudio sustineamus. Paupertas enim quae non amatur, perfectioni acquirendae raro prodest, saepissime vero nocet plurimum. Atque cum huc nos deduxerit oratio, paulo accuratius consideremus, qua maxime ratione, et quibus in rebus, ex sententia sancti nostri parentis, paupertatem necesse est quaerere atque amplecti.

ut nulla re tamquam propria uterentur ; Summ. Cons. 24.

6. Prima quidem hic se offert eius admonitio, qua omnibus cautum esse voluit, ut *nulla re tamquam propria utantur*. Quam quidem regulam ex ipsa voti natura profluere nemo sane ignoraverit. Unde S. Bonaventura praeclare dicit :

Paupertatem esse virtutem temporalium abdicativam bonorum, qua quis nil proprii habens sustentatur de non suo. Apol. paup. Resp. 3. c 1. Per votum quippe terrenis omnibus renuntiamus, ut saeculo mortui Deo vivamus, et pauperes pauperem Iesum imitemur. Cavendum vero diligentissime hic est, ne dum Iesu amore terrena abiecimus, ut aliquando caelestia possideamus, taedio deinceps aut mala daemonis arte seducti respiciamus retro et rapinae in holocausto rei inveniamur. Quocirca recordari iuvabit familiarem fuisse sancto nostro parenti vocem, in veris pauperibus eum solum censeri qui nihil plane habeat quod suum esse ducat, sed quacumque re utatur ita se gerat, quasi statua esset sensus expers, quae qualibet de causa ipsam spoliare volenti non resistit neque repugnat. Nec vero quod quantumlibet parva aut exigua sint quae quis paulo avidius tenet, id habet in religioso viro iustam excusationis causam; dedecet enim eum in parvis haerere, qui ultro abiecit maiora: unde merito S. Bernardus tales arguens: *Quid illud refert*, inquit, *si forte, quod absit, non quidem divitias, sed ea ipsa quae paupertatis sunt, tanto affectu desideras, aut etiam ardentius, quam divitias cupiant homines saeculares!* De divers. Serm. 35. Quam ob rem, ut levis quaecumque dominii species omnimodo excludatur, sancte et rigide cavetur, ut *nemo pecuniam apud se habeat, apud alium vero neque pecuniam nec quicquam aliud*; Reg. comm. 7. Reg. comm. 8. et 9. et ut *nemo libros habeat sine facultate, neque rem ullam ex domo sibi usurpet, aut*

ab externo quovis modo sibi aut alteri accipiat, sine superioris licentia, quae ipsa quoque certis suis finibus ex constitutionum praescripto definitur.

ut vita esset communis ;

7. Neque hic silentio praeterire fas est, quod congregatio proxima vehementer omnibus inculcavit, ut scilicet, quod alias tum in constitutionibus tum in congregationum decretis fuerat statutum, vita communis in victu, vestitu, supellectili omnique vitae tenore illibata ab omnibus servetur ; atque idcirco serio monentur superiores, ut subditorum suorum necessitati religiosa modestia et caritate paterna provideant, aegrotos autem et valetudine affectos singulari tractent ac foveant cura atque amore. Verum, hac propemodum unica infirmitatis causa excepta, aequales omnibus sanctae paupertatis leges institutum nostrum praescribit. Quin etiam eadem nostra congregatio ultima superioribus enixe commendavit, ut exemplo ipsi suo praeluceant aliis, et ut singularia, superflua et exquisitiora tum evitent ipsi in se, tum in suis subditis non permittant, omniaque secundum rectam caritatis et aequalitatis cum inferioribus mensuram, paternamque curam et providentiam componant atque dispen-

Decr. 25.

sent. Quae quidem inter omnia unius corporis membra uniformitas, quantopere iuvet ad roborandum cuiuslibet ordinis spiritum, et ad conservandam mutuam animorum coniunctionem sanctamque cordis laetitiam, non est qui non facile videat : propensiore quippe voluntate ad ardua

quaeque sustinenda se accingunt passim homines ubi aliorum exemplo iuvantur ; dum contra, quae humanae naturae est infirmitas, religiosae perfectionis studium languere, quin et paulatim deficere videmus, ubi quidam commodorum suorum nimium amantes vitae communis onera refugiunt, et quae carni amorique proprio blandiuntur, pravo aliorum exemplo sibi quaerunt ac sectantur. Hanc, quaeso, religiosae perfectionis taeterrimam pestem sedulo fugiamus ; hanc a Societatis nostrae finibus longe repellamus, et quod nomine profitemur, id totius vitae habitu ac tenore comprobemus.

ejus ratio tamquam pauperibus accommodata :

8. Quae ut facilius exsequamur, etiam atque etiam consideremus quod regula 25 Summarii praescribit : *Victus, vestitus et lecti ratio erit ut pauperibus accommodata.* Videte autem, Fratres carissimi, quaenam sit pauperum sors atque condicio, quisnam apud eos rerum cotidianarum usus. Paupertas eorum sane non mollis est et commoda, sed dura potius et molesta, quippe quae in augustia quadam rerum et penuria consistat ; ac proinde sin minus gravem inopiam et egestatem, at certe incommoda non pauca diversasque molestias afferat. Haec potissima videtur esse ratio, ob quam mundani homines, tantum abest ut paupertatem hospitam habere domi suae aequo animo patiantur, ut potius eius aspectum vulgo refugiant. De religiosis autem qui nec meliora sapiunt, S. Bernardus gemendo dicebat : *Videmus pauperes aliquos, qui si veram habe-* Serm. 4. de

Adv. Dom. *rent paupertatem, non adeo pusillanimes invenirentur et tristes, utpote reges, et reges caelorum : hi sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto ut nihil eis desit, et sic diligunt paupertatem ut nullam inopiam patiantur.* Facile sane quisque perspiciet quam probrosum nobis foret, si dum paupertatem ultro in religione quaesivimus, eamque ut Christum propius sequeremur toto cordis affectu sumus amplexi, ita demum essemus animo constituti, atque ea solummodo ratione pauperes esse vellemus, ut nihil plane nobis desit, quin immo ut in cellae supellectili, in mensa et corporis cultu, in itineribus atque in omni vitae tenore benigne admodum et prolixe cuncta suppetant. Sane commoda eiusmodi paupertas et omnibus soluta curis, nescio cui possit displicere, quidve afferre molestiae ; cum divites ipsi et copiosi, quamquam bonis abundent commodisque utantur suis, non tamen sine multis curis utantur. Unde S. Pater noster, dum eam vitae rationem praescribit quae vere pauperibus convenit, simul etiam expresse iubet *resecari superflua*, quippe quae pauperibus, quales nos sumus et esse ultro constituimus, vix possent non pudorem inicere ; quin immo *paratos nos esse vult ad mendicandum ostiatim, quando vel oboedientia vel necessitas id exiget.* Et universim nos monet *in usu rerum necessariarum vel convenientium.. habendam esse rationem humilitatis, paupertatis, et spiritualis aedificationis, quae semper nobis in Domino ob oculos versari debet.* Si ergo vilia et vul-

6. Parte c. 2. §. 11.

Constit. 6. Part. 2. c. §. 10.

Ibid. §. 16.

garia aversamur, si aegre sustinemus nostris nos commoditatibus privari aut pauperes videri refugimus, si in omni vitae habitu meliora quaeque et potiora ambimus, immerito sane de paupertatis aut humilitatis studio nobis blandimur. Spiritualis autem proximorum aedificatio, quam S. Pater semper ante oculos haberi iubet, ecqua in his esse posset? Homines enim mundani, quantum demirantur religiosos commodorum suorum ac deliciarum contemptores, tantum despiciunt atque contemnunt quos sub ementito paupertatis nomine exquisita et nimia sectari deprehenderint.

diligenda paupertas ut mater; Constit. 3 Part. c. 1. § 25.

9. Sed ne quae huc referuntur omnia singulatim percurram, in ea demum regulae sententia consistam qua dicitur: *Diligant omnes paupertatem ut matrem.* Hisce enim verbis quam paucissimis, quae ad virtutis huius perfectionem assequendam conducunt, praecipi omnia videntur. Mater est paupertas, quae nos peperit, fovet ac nutrit; et qui paupertatem filiali affectu dilexerit, eam libens, ubi sese obtulerit, amplectetur: non conqueretur de rerum inopia, sed prompto eam animo feret. Neque satis habebit quae vilissima erunt domi non recusare, sed ut haec sibi tribuantur avide cupiet et flagitabit; nec tantum patienter sustinebit, si quid artum angustumque sit in hac nostra vita ferendum, sed in id studium omne suum convertet, ut huiusmodi tolerantiae crebra opportunitate numquam frustretur; atque libens accipiet aureum S. Bonaven-

Medit. vitae Christi c. 44.

turae monitum : *Nihil habeas et nihil habere velis praeter necessitatem. Et si quaeris quae illa sit necessitas, respondebo, quod quanto intimius paupertatem dilexeris, tanto subtilius de necessitate iudicabis. Illa namque necessaria sunt, sine quibus esse non possumus. Vide igitur ea sine quibus esse commode potes, et illa nec habere, nec petere, nec procurare, nec a sponte dantibus accipere velis.*

conservanda ut murus firmus. Constit. 6 Part. C. 2. § 1.

10. Porro ad hunc paupertatis amorem nos altera regula provocat, dicens : *Paupertas ut murus religionis firmus diligenda, et in sua puritate conservanda est, quantum divina aspirante gratia fieri potest.* Murus est paupertas ; quo vita religiosa quasi inexpugnabili munimine circumdatur et contra hostium incursus salva atque tuta servatur. Hic murus si evertitur, profecto non habet religio quo se defendat ac secura consistat. Hoc ergo spiritualis vitae munimen custodire, hoc religionis propugnaculum tueri atque defendere omni qua possumus ope ac virtute tenemur. Atque ne hic murus umquam in Societate evertatur et corruat, admirabili sane sapientia providit

6. Part. C. 1. § 1.

sanctus Ignatius : *Ut quicumque professionem emiserint, se ad innovationem constitutionum in iis quae ad paupertatem pertinent, nihil facturos promittant, nisi aliquo modo pro rerum occurrentium ratione eam in Domino magis restringendam iudicarent.* Quod autem in muro evenire non raro videmus, ut, quamquam optimo artificio exstructus et aptissima fabricatus lapidum coagmentatione, inci-

piat tamen labente tempore aliquid vitii aut periculi pati, id huic quoque nostro sanctae paupertatis muro, pro humanarum rerum inconstantia, accidere potest. Atque idcirco ex mente S. fundatoris conventus generales pro officio suo recognoscunt, si quid usquam detrimenti iam ceperint, aut cuipiam detrimenti periculo videantur exponi sanctissimae leges de paupertate sancitae. Hinc tum aliae congregationes generales, quotiens opportunitas incidit, tum etiam novissima in commune bonum vehementer intenta, aliquibus editis decretis huic parti cavendum putaverunt. Tanti nimirum *refert*, verbis S. N. Patris loquor, ut hoc *propugnaculum quod religiones in suo statu et disciplina conservat, contra humanae naturae hostes aliosque religiosae perfectionis adversarios*, quam tutissimum ac munitissimum servetur. Constit. 10 Part. § 5. et 6. Part. c. 2. § 1.

11. Verum haec tanta necessitas paupertatis tuendae, quae partim providentia legum, partim superiorum sedula vigilantia munitur, ne vel minimum in communi labefactetur, nostram etiam singulorum diligentissimam curam, nostrumque continuum studium requirit. Ratio quippe publica a privatorum ratione dependet, et bonum publicum Societatis obtineri et consistere non potest, nisi nos singuli prompta voluntate ad illud acquirendum servandumque concurramus. *Diligant ergo omnes paupertatem ut matrem.* Hunc paupertatis amorem regulae nostrae omnibus et singulis inculcant ; hunc ab ipso tirocinio hausimus, ani- Quae regulae ut serventur, singulorum diligentia opus est.

misque nostris imprimere studuimus ; hunc nuncupatis Deo votis perpetuo nos servaturos spopondimus ; hunc tamquam pignus felicitatis aeternae tenemus ; hunc tandem Sanctus Ignatius ardentibus ad Deum precibus exoravit, et in cordibus filiorum suorum numquam esse interiturum speravit ac divina misericordia fretus sibi promisit ; unde nobis scripto reliquit : *Qui primi in Societatem convenerunt, per huiusmodi indigentiam, ac penuriam maiorem rerum corpori necessariarum probati fuerunt ; qui post eos accedent, curare debent, ut quoad poterunt, eo pertingant quo illi pervenerunt, vel ulterius etiam in Domino progrediantur.*

Exam. Gen. c. 4. n. 26.

Ad quam ut excitemur, considerandus finis noster

12. Videte igitur vocationem nostram, reverendi Patres et Fratres carissimi, videte quantis modis S. fundator noster paupertatis spiritum excitare in nobis et confirmare studeat. Noverat enim nulla nos via facilius certiusque ad finem nostri instituti pervenire posse, quam per verum mundanarum rerum contemptum, et constantem sanctae paupertatis amorem. Atque haec consideratio, nescio quem Societatis filium ad huius virtutis cultum non vehementer provocet atque impellat.

duplex: 1° propria beatitudo, cuius paupertas primus gradus est ;

13. Etenim cum duplex sit nobis in regulis nostris propositus scopus, propria nostra scilicet et proximorum salus atque perfectio, ex iis quae hactenus dixi facile colligere pronum est, quo perfectius paupertati studuerimus, eo planiorem nobis fore viam ad utrumque vocationis nostrae

scopum assequendum. Itaque Christus dux noster et magister, dum olim disserens in monte caelestis doctrinae praecepta ad beate seu perfecte vivendum multitudini proponeret, per octo veluti gradus ad summum beatitudinis apicem ita viam monstravit, ut in primo gradu quasi reliquorum fundamento paupertatem collocaret. Et sane qui spiritu pauperes sunt, iidem facilius et mansuetudine leniuntur, ac maerore vel tristitia afflicti, solacium admittunt. Pauperes spiritu, cum nullo rerum fluxarum desiderio agantur, iustitiam esuriunt et sitiunt, ac in Deo rebusque divinis inveniunt quo plene satientur, atque adeo in medio turbulentarum huius saeculi tempestatum pace tranquilla fruuntur, quia nihil habent quod amittere formident, nihil hic vident quod possidere cupiant, nihil lubrici concupiscunt, sed corde puro et recto non nisi divina amant, non nisi caelestia suspirant ; unde cum apostolo Paulo nihil possidentes omnia possidere sibi videntur, quia thesaurus eorum repositus est *in caelis, quo fur non appropiat neque tinea corrumpit.* Luc. 12, 33.

14. At forte ad proximos iuvandos, quae altera est nostrae vocationis pars, parum haec virtus conducere cuipiam videatur ? Immo vero conducere plurimum fatebimur, si oculis fidei rem considerare paulisper voluerimus. Quid enim ? numquid apostolatum nunc aliis artibus atque industriis gerendum putamus, quam quibus olim Apostoli divinitus edocti eum gesserunt ? Qui

2° proximum adiuvare, ad exemplum apostolorum,

quidem in Evangelii lege promulganda sic labo-
2. Cor. 11, 27. raverunt, ut vitam ducerent *in fame et siti, in ieiuniis multis, in frigore et nuditate.* Unde qui ad Apostolorum exemplum verbi ministerio se devoverunt, sic eos oportet animarum lucris inhiare, ut sine omni spe lucri aut commodi temporalis, gratis omnino dent quae gratis acceperunt, neque recusent cum Apostolo se ipsos
2. Cor. 12, 15. totos pro animabus *impendere*: atque adeo non modo neglegentes suarum utilitatum, sed sui veluti immemores vivant. Quare non leviter se ipsi decipiunt, qui de apostolatus honore sibi blandiuntur, dum forte de cellae conqueruntur angustiis ; qui secum male actum esse praetendunt, graviterque ferunt, si duriore lecto indormire, si parciore aut viliore cibo et potu refici necesse sit, si subsidia recreando corpori destinata non nihil resecari contingat, si dare se itineri nisi viatico et sarcinis probe instructi aegre consentiant, ut eos potius dominos locupletes quam pauperes religiosos esse diceres. Si qui tales Societatis nomine gloriantur, spiritum eius certe non habent, nec sancti Ignatii filii iure appellantur, quorum agendi ratio a sanctissimis patris optimi exemplis usque adeo discreparet. Quid ? quod eadem ipsa paupertas, ad quam doctrinis et exemplis sancti parentis instituimur, nos unice comparat aptosque efficit, ut ad mundi contemptum aliorum animos inclinemus, eosque a miseris illis cupiditatibus divellamus, in quibus tamquam luto

defixi haerent. Etenim exemplum ipsum, tacitam quidem, sed mire efficacem habet ad persuadendum vocem, neque moleste credunt homines vana esse et futtilia, quae a nobis pro vanis et futtilibus haberi conspiciunt. Verum et illud sine haesitatione adiungam, huius paupertatis amatores tantis saepe abundare caelestis gratiae opibus, ut eos non fragiles homines, sed nuntios caelestes divina virtute donatos diceres. Itaque ad ea ipsa opera, quae multarum saepe gentium admiranda conversio subsecuta est, in apostolicis viris paupertas plurimum valuit ; quod quidem praeclare extulit S. Leo Magnus in Apostolo Petro, qui Hierosolymis claudum ad templi fores mendicantem stipis loco, quam pauper non poterat elargiri, duplicato prodigio sanavit. *Quid* Serm. 95. *hac*, inquit, *humilitate sublimius, quid hac paupertate locupletius ? Non habet praesidia pecuniae, sed habet dona naturae. Quem debilem edidit mater ex utero, sanum fecit Petrus ex verbo, et qui imaginem Caesaris in nummo non dedit, imaginem Christi in homine reformavit. Huius autem thesauri opibus non ille solum adiutus est, cui gressus est redditus, sed etiam quinque milia virorum, qui tunc ad exhortationem Apostoli ob eiusdem miraculi curationem crediderunt. Et ille pauper, qui non habebat quod petenti daret, tantam dedit divinae gratiae largitatem, ut quem ad modum unum hominem redintegrarat in pedibus, sic tot milia credentium sanaret in cordibus, faceretque eos in Christo alacres, quos in iudaica perfidia invenerat claudicantes.*

15. Est igitur paupertatis virtus, iis omnibus qui evangelicis ministeriis funguntur, maxime necessaria et veluti propria, ut ea instructi prosperos sibi successus Deo adiutore promittere queant.

et antiquorum Patrum nostrorum.

Quod nos quidem possumus ex ipsis maioribus nostris condiscere, qui, et nascente Societate et adulta, floruere haud pauci divinae gloriae validissimi praecones ; quorum memoria domesticis annalibus tradita vivit adhuc inter nos, ad solacium et aemulationem posterorum. Neque eos solummodo commemoro apostolicos viros, qui in ultimas barbarorum terras per summam egestatem et inopiam Christi nomen invexerunt, sed eos pariter exemplo nobis esse cupio, qui in frequentia nostrarum urbium sacris instituti nostri muniis addicti nihil magis desiderabant, quam veros ac sinceros Christi pauperes et esse et videri, ut caelestis gratiae thesauros abundantius sibi ipsi acquirerent, et copiosius in alios effunderent.

sed praesertim Ducis ac Domini nostri Iesu Christi.

16. Ab his praeclaris nostrorum maiorum exemplis ne recedamus ignavi, vix vereor, si ad eum constanter oculos convertamus, qui *cum esset dives*, propter nos pauper et *egenus factus est, ut illius inopia* nos *divites* essemus et *qui*, ut notat S. Bernardus, *sic dilexit paupertatem, ut quamvis in manu eius sunt omnes fines terrae, tamen non habuit ubi caput reclinaret.* Sane probrum et dedecus foret, si a proxima illius imitatione spatio quamtumvis minimo decederemus nos, qui ad intimam cum eo coniunctionem in eius Societatem

2. Cor. 8. 9. De adventu Dom, Serm. 4.

vocati sumus. Non aspergamus eiusmodi maculam gloriae nostrae, Fratres carissimi, et qui ultro paupertatem cum Christo paupere elegimus, et ad paupertatem sectandam Societati Iesu nomen dedimus, non sinamus nos, nescio qua daemonis fallacia, occaecari et decipi, ut sancti nostri propositi quodam modo pertaesi a paupertatis vexillo transfugae videamur. *Imitemur*, sic enim cum S. Gregorio Nyssaeno concludere liceat, *imitemur eum, qui sua sponte egenus fuit; in quo possumus, pro virili nostra parte assimilari, ex eo, quod nostra voluntate egeni paupertatem secuti fuerimus.*

Orat. 1. de Beat.

17. De Castitatis autem voto quid vobis dicam, reverendi Patres et Fratres carissimi? Sanctus fundator noster Societatis homines tales omnes esse supponit, talesque omnino requirit, quos de huius virtutis necessitate minime oporteat explicate commonere. Atque hinc in constitutionibus de hac virtute brevibus quidem, sed sensu et veritate plenissimis verbis disserit, scribens: *Quae ad votum Castitatis pertinent interpretatione non indigent, cum constet, quam sit perfecte observanda, nempe enitendo angelicam puritatem imitari et corporis et mentis nostrae munditia.* Atque ita profecto est: quae ad hanc virtutem spectant clara et aperta cuique sunt, qui scopum, ad quem tendere debemus, ante oculos habuerit ac seria attenderit mente. Iesu quippe socii dicimur, Iesum imitari ex Instituto debemus. Unde merito sanctus noster parens nihil probat mediocre,

Deinde Castitatem qualem a nobis regula requirat.

Const. Part. 6. c. 1. 1. § 1.

nihil admittit vulgare, neque unum assignat alterumve huius virtutis gradum, in quo nobis liceat consistere ; sed eo vult nos deducere, quo nihil purius in hominum castimonia potest cogitari, ut scilicet in fragili nostra humana natura ad angelicam accedere similitudinem enitamur. Quantum autem illud sit, quod brevibus hisce regulae nostrae verbis comprehenditur, vos facilius meditando percipietis quam longiore ego sermone valeam explicare. Satis quippe non est, si mens nullam foeditatem admittat, et ex corrupto limo, quocum coniungitur, maculam nullam voluntate suscipiat ; satis non est, si rebelles carnis perturbationes virtutis freno compescat ; sed amplius aliquid et sublimius requiritur : eo scilicet contendere Sanctus Ignatius nos iubet, ut corpus, quod pro terrena materia in terrenas delectationes suapte vi rapitur, exsors propemodum ingenitae condicionis evadat, ac peccatis mortuum iustitiae vivat, unde animus ex rerum imaginibus nihil nisi casti et pudici concipiat, et divina opitulante gratia caro nostra spiritui sit subiecta, atque ita demum simus constituti, ut Deo casto corpore serviamus et mundo corde per omnia placeamus.

Et licet huiusce boni plenam adeptionem communi lege ad illud tempus reservari noverimus,
Rom. 6, 6. quo *destruetur corpus peccati*, quando omnes qui
Matth. 22, 30. ad vitam surrexerint *erunt sicut Angeli Dei* ; tamen ut in hoc quoque mortalitatis loco, dum

peregrinamur a Domino, eo iam tendere conemur, sancti patris nostri hortatu fortiter incitamur, et ab ipso quod profitemur vitae genere vehementer impellimur. 2. Cor. 5, 6.

18. Magna quippe est et sublimis nostra vocatio, quae magnam quoque requirit a nobis vitae sanctitatem.

Mitto communem illam licet validissimam rationem, quod postquam a divina misericordia ad hunc vitae statum fuimus vocati, nostri nos non amplius sumus, sed eius qui nos vocare dignatus est: quodcumque enim nostrum erat, immo totum id quod ipsi sumus, Deo ac Domino nostro proprium addiximus, eiusque servitio ac maiori et excellentiori gloriae promovendae in perpetuum devovimus: et quantamcumque adhibeamus in corporis et spiritus sanctitate excolenda curam, numquam erit ut debitum tanti famulatus obsequium cum supremi numinis maiestate digne coaequemus. Verum ut illud, inquam, quod omnibus qui in religione vivunt commune est, modo praeteream, aliud vobis quod Societatis homines singulari prorsus ratione attingit, contemplandum propono. merito quidem,

Etenim saeculo non eo solum fine nuntium remisimus, ut a terrenis curis et mundi periculis soluti, securius salutem nostram atque perfectionem operaremur; sed etiam ut impense in salutem et perfectionem proximorum incumberemus: idcirco vitam non soli degimus et a seculo prorsus ob duplicem finem: 1° ut nobis sancti simus.

segregati ; sed potius in hominum luce atque conspectu solemus et ex vocatione debemus versari, cum iis humaniter agere, cum iis negotia aeternae salutis impense et naviter tractare, ut dum saluti et perfectioni nostrae vacamus, etiam alios salvemus et ad summam, quam in suo quisque gradu consequi possunt, perfectionis sanctitatem quoad possumus perducamus. Nullum etiam est mortalium genus, nulla hominum aetas vel condicio, quam a nostra spirituali cultura censeamus esse alienam. Atque hinc potest intellegi, quam insignis et firma debeat in nobis puritatis virtus exstare, ut in hac cotidiana cum proximis consuetudine et in varia nostrorum munerum perfunctione, non modo statum incolumem conservet, sed nihil prorsus nativi nitoris amittat. Neque nos latet plena insidiarum omnia esse, plena periculorum ; et praeterquam quod *ipsi* nos, *ut manifestum est, gestamus laqueum nostrum, et ubique proprium circumferimus inimicum, carnem hanc de peccato natam*, ut divus Bernardus annotavit, externa plerumque non absunt nequitiae irritamenta, quae suapte vi fragilem heu nimis naturam in perniciem propellunt, et quae callidus animarum hostis in omnem excubans opportunitatem ad nostrum conatur convertere interitum.

In Quadr. serm. 4.

Or. 37 c. 11. *Undequaque*, uti monet Nazianzenus, *undequaque pravus ille te scrutatur atque explorat ubi feriat, ubi vulneret, num nudum quid plagae ve obvium reperiat. Quo puriorem cernit, eo enixius te commaculare et*

inquinare gestit. Splendidae etiam vestis manifestiores sunt sordes. Hac de causa, ne dum aliorum saluti operam damus, nostra vel paululum periclitetur, neve quaestus alienus male vertat in nostrum detrimentum, merito a sancto patre monemur, ut *enitamur angelicam puritatem imitari et corporis et mentis nostrae munditia.* Ea igitur nobis est, divino favente auxilio, castimoniae securitas optanda atque quaerenda, quae neque insito tentetur appetitus motu, neque externo rerum occursu sollicitetur. Tales ut simus continua vigilantia curandum est, ut cum necessarium erit (id quod saepenumero contingit) foeda animorum ulcera detergere, et pestilentibus morbis facere medicinam, solis radio videamur similes, qui, lutulenta et caenosa pervadens loca, faciem illam impuram illuminat quidem et exsiccat, nulla tamen sui nitoris iactura.

19. Est et aliud gravissimi ponderis argumentum. Quo magis scilicet haec virtus interiore suo decore animos honestaverit, eo luculentior apparebit sacri nostri ministerii dignitas, et eo maior permanabit, ad illos quibuscum agimus iuvandos, eiusdem vis et efficacia. Et nobis et aliis sancti esse debemus. Utrumque enim necessarium est : alterum debemus conscientiae nostrae, alterum nostrorum munerum rationi. Apposite S. Bernardus : *Habent*, inquit, *et mores colores suos, habent et odores* : *neque enim in spiritibus id ipsum est color et odor, non magis quam in corporibus. Ergo de colore conscientia consoletur, de odore fama.* Atqui si nos, 2° et sancti aliis.

In Cantic. serm. 71.

qui in oculis multitudinis vivimus et officia summae dignitatis exercemus, decet in omnibus cum Apostolo dicere posse: *Christi bonus odor sumus*; id curabimus praesertim in ea virtute quae conciliatrix potissima est religiosae reverentiae et auctoritatis. Nam quem ad modum nihil est ipsa turpitudine vilius et despectius, ita nihil castimoniae honestate aut praestantius habetur aut admirabilius. Hanc omnes vulgo suspiciunt, hanc omnes mirantur, hanc veneratione quadam tacita vel inviti prosequuntur, sive quod auctore Nazianzeno *talis eius sublimitas reperiatur, ut ne concipi quidem aut comprehendi queat*, sive quod ex S Bernardi sententia *in hoc corpore vivere angelum caelestis potentiae sit non terrenae.*

2. Cor. 2, 15.

Orat. 37. cap. 11.

In Cantic. serm. 27.

Qua in re bona fama Societatis nobis tuenda est.

20. Qua quidem in re amabilissimam misericordis Dei erga nos providentiam numquam satis mirari et extollere possumus. Nam cum in minimam nostram Societatem vetus et recens malignitas foedum omnem stomachum evomuerit, maledicta cuiuscumque generis congesserit, crimina quaeque atrocissima confinxerit, famam probris omnibus dilaceraverit, uni fere castitati parcitum plerumque esse, non sine intimo grati animi sensu videmus. Adeo visum est simile vero non futurum, quicquid adversus hanc laudem accusatorie et callide in vulgus, ceteroquin credulum, spargeretur. Valuerint sane non parum aliquae exterioris disciplinae leges, veluti quaedam repagula pudoris muniendi et malae suspicionis

vitandae ; quae, provido consilio constituta, ultima etiam congregatio generalis ut exactissime custodiantur iniunxit, praesertim ea quae de vitandis crebrioribus externorum visitationibus, et de regula socii iam alias saepius praescripta fuerunt. Verum ad talem Societati existimationem comparandam servandamque contulit sane quam plurimum singularis quidam amor et propensissima volontas, qua haec minima familia ab origine sua e sui conditoris praescripto castitatem assidue prosecuta est. Non enim solae externae leges sine virtutis studio multum prodesse, nec bona opinio stare diu potest sine veritate virtutis. Atque ex his liquet, qua diligentia et sollicitudine hanc ab antecessoribus nostris hereditario veluti iure acceptam possessionem tueri, quo studio ad angelicam, quoad fieri possit, integritatem consequendam laborare nos continuo debeamus.

Decr. 44. §. 2 et 3.

21. At enim, Bernardo teste, *valde arduum est angelice inter homines vivere, et in terris more caelestium conversari.* Ita sane est, reverendi Patres et Fratres carissimi, atque ob eam causam sanctus pater sapienter monuit, ut *enitamur* : qua voce utique significavit non esse rem hanc in medio positam, sed laborem et conatum continuum exposcere.

Et si res ardua, Super missus est hom. 3.

22. Inter adminicula autem, quibus ad hanc virtutem consequendam eniti debemus, primum sane illud merito censendum est, ut nostris viribus diffisi ad Deum omnis sanctitatis fontem re-

non desunt adminicula, videlicet : 1° humilis oratio ;

curramus, nec umquam desinamus supplicibus votis divinam eius promereri liberalitatem. Quod enim universe affirmat Augustinus, *Deum dare velle, sed non dare nisi petenti*, id praecipua quadam ratione de hac virtute intellegatur oportet. Orandum est et continuo orationi insistendum, ut quod infirmitas nostra non potest, Dei miserentis auxilio nobis concedatur. Sentimus quidem et cotidie heu nimium experimur, nequaquam a nobis esse hoc donum, sed potius ab illo, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum procedit ; verum et hoc firma fide tenemus quantumvis infirmi sumus a nobis, modo ad eum humili corde et animo volente confugiamus, non passurum esse Deum ut tentemur supra id quod possumus, quin potius cor mundum creabit in nobis et spiritum rectum innovabit in visceribus nostris. Et licet magnum quiddam sit et eximium quod petimus ; tamen cum eiusmodi illud sit, quod sanctissimis legibus nobis imponitur et naturae vocationis nostrae apprime congruit, merito confidimus a Deo nos, quod ex nobis non possumus, exoraturos ; modo nos ipsi eius auxilio fideliter cooperemur, et sanctae industriae utamur adiumentis, quae haec ipsa nostra vocatio praescribit.

In Ps. 112.

2° Carnis mortificatio : Serm. 3. in Dom. 6. post Pentecost.

23. Inter haec deinde peculiari modo nobis commendatur carnis mortificatio. *Continentiae nostrae hostis*, ait S. Bernardus, *caro est adversus spiritum concupiscens.* Hinc veri omnes Dei famuli

senserunt cum corpore sibi magnas ac continuas esse exercendas inimicitias, et, indicto pravis concupiscentiis bello, constanter quoad viverent cum iis esse dimicandum. Ecqua enim securitas, quae non sit vana et mendax, sperari potest? ab eo praesertim hoste, qui nos plerumque fraudulenter et per insidias aggreditur, qui illecebras vitiorum suaviter quidem suggerit, et in eo ipso quod nocet, iucunde delectat, qui tanta coniunctione nobiscum conglutinatur, ut cogamur pertimescere quem fovemus, odisse quem amamus, et quem amplectimur fugere. *Hostis quippe est blandus et placidus ac insidiosus amicus*, ut Nazianzenus ait. Hinc cuique perfectionis amanti nil magis fugiendum, quam segnis ista mollities, quae molestias omnes carnis refugit, ac quae sensibus placent sectatur. Mirum sane non est, si adversantem ac perduellem quis experiatur, cui vires ipse et arma incautus tribuit et indulgentius obsequi non recusat. Argute atque accommodate ad rem nostram Augustinus : *Eva*, inquit, *nobis interior caro nostra est.* Quippe amore sui allicit, inescat, blanditur, adulatur, vix dici potest quam callide quamque malitiose cupiditates praetexat suas. Num vero non diligenda, quae in adiutorium data est, et qua rerum agendarum utimur socia et auxiliatrice ? Utique, ait S.Bernardus, *amet Adam Evam suam* ; *sed non sic, ut voci eius plus oboediat quam divinae.* Divina autem est illa vox : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum*

Orat. 14 cap. 7.

Serm. 1. in ps. 48.

In Ps. Qui habitat serm. 10.

Gal. 5, 34.

Rom. 8, 12.13. *vitiis et concupiscentiis* suis. Et haec alia : *Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Parum ergo videatur adversariam non fovere, ab astuta non decipi ; nisi ea ipsa in crucem agatur cum vitiis et concupiscentiis suis, Christi servi plane non sumus. Nostrae quidem leges certam et omnibus communem afflictandi corpus legem non praescribunt ; sed quid cuique aequum sit et salutare prudenti moderatorum iudicio relictum volunt : verumtamen eaedem ipsae leges omnibus inculcant ut *continuam in rebus omnibus quaeramus mortificationem* ; immo et annales nostri testantur huius virtutis studium in Societate semper floruisse, et insignes quoslibet sanctitate viros, quorum virtutem commemorari nobis frequenter audimus, in mortificationis excercitio fuisse diligentissimos. Quod si interdum virium debilitas aut laboriosi officii munus carnem asperius tractare non sinit, quin potius ad Dei maius servitium vires conservari iubeat, illa numquam profecto intermittenda est mortificatio, quae pravas animi affectiones coercendo castigat et moderatur. Huius autem internae mortificationis exercendae, sicut numquam deest occasio, ita magna est ad cohibendos pravos animi appetitus et ad Dei auxilium impetrandum mira prorsus efficacia.

3° Sensuum assidua custodia ;

24. Plurimum etiam iuvat tum ad mortificationis perfectionem, tum ad castitatis integritatem tuen-

dam, *sensuum nostrorum assidua custodia.* Quare merito regula 29 Summ. nos admonet, ut *Omnes diligentissime curent portas sensuum suorum, oculorum praecipue, aurium et linguae, ab omni inordinatione custodire. Quis enim umquam,* ait S. Laurentius Iustin., *frena sensibus laxavit, et mentis adeptus est puritatem?* Domus quippe, quae adeuntibus pervias offert vel male asservatas habet fores, nec a strepitu, nec a sordibus, nec vero etiam a furtis diu salva consistet. Sunt nimirum sensus nostri quidam veluti aditus, per quos obviae quaecumque extrinsecus irrumpunt rerum imagines, quae intus incaute aliquando receptae aut quietem conturbant, aut mentis munditiem inficiunt, aut, quod gravius est, propensionem sibi aliquam voluntatis student suffurari. Quantam enim inordinationem ciere non valet vel unus imprudentior obtutus! *Quem ad modum,* inquit Basilius, *lapis in cisternam aquae coniectus, non solum adiacentem aquae partem, in quam decidit, sed alios etiam ex aliis orbes excitans usque ad extrema illos interdum agitando perducit;* ita parva saepe scintilla magnam producit in anima devastationem. Et hoc quidem sicut ipsa ratio luculenter comprobat, ita et experientia et exempla cotidiana manifeste demonstrant. Nam uti cuilibet ligno vis flammae adhaeret, ita parva saepe favilla non tantum stipulas, sed et proceras arbores incendio absumpsit; quapropter peior et propior nulla imminet castitati pernicies, quam a praepostera

In festo S. Ioan. Evang. serm. 3.

De Virginit. §5.

fiducia sui sensuumque licentia, monente Spiritu
Eccl. 3, 27. sancto, *qui amat periculum in illo peribit ;* et Deus punire non raro solet occultam hanc arrogantiam, largius auxilium denegando, quo humana imbecillitas destituta, sine prolapsione aliqua aut offensione non progreditur. Adeo ut purum et incorruptum animum conservare nemo diu possit, qui continuam circumspectionem et sedulam in sensibus frenandis vigilantiam adhibere non assueverit.

4° cura regularum modestiae ;

25. Locus ipse me admonere hic videtur de modestiae regulis, quae praeterquam quod religiosae honestati insigne addunt ornamentum, plurimum etiam iuvant ad mentis puritatem tuendam ; quarum quidem accuratam observantiam etiam proxima congregatio, pro sua de Societatis genuino spiritu sollicitudine, verbis commendavit
Decr. 44, §. 7. gravissimis. Quam multas, dum hasce regulas describeret, beatus Pater noster fuderit lacrimas, quam fervidas Deo obtulerit preces, quanti eas se facere declaraverit, et quam severus earum exstiterit exactor, ad exemplum perenne litteris consignatum est. Et hoc unum ad nostrum excitandam diligentiam sufficere debet ; ne quod parenti optimo tantopere cordi fuisse sciunt, id filii neglegere per levitatem aut incuriam arguantur. Et sane nemo est, qui non facile intellegat esse aliquid in vultu, in oculis, in vocis sono, atque adeo in motu manuum, in incessu, et in toto corporis habitu, quod viros religiosos appri-

me deceat, eosque contra peccatorum incursus defendat et tueatur. Parva fortassis ista esse profanus quis existimet ; at vero num sapientis est parva quaelibet flocci facere, cum ex parvis saepe magna et maxima capiant initium? *Ut enim in fidibus*, ait Tullius, *musicorum aures vel minimum sentiunt: sic nos acres ac diligentes iudices esse volumus, animadversoresque vitiorum, magna intellegimus ex parvis.* Atque idem magis apposite confirmat Chrysostomus : *Intemperantiae symbola de moribus iudicium faciunt deque affectu, nempe vox, intuitus, habitus: quin etiam ea, quae videntur esse parva, et nullo in numero, ut tonsura, deambulatio collique inclinatio, sermocinatio manibus supinis.* Magni igitur refert persuasum nobis esse, quantam efficientiae vim exserat exterior modestia, tam ad cordis puritatem conservandam, quam ad proximorum animis virtutis et perfectionis amorem inspirandum. *Modestia* quippe, ut Isidorus Pelusiota affirmat, *reliquas animi dotes coronat et illustrat*, et quasi radius divini vultus rapit ad sese potentissime intuentium oculos, salutares sensus pectoribus ingerit, voluntatesque mirabiliter et fortiter ad bonum impellit. Quare de antiquis nostris patribus sic accepimus, tacita eos sui exempli hortatione plurimum valuisse, et ad ostendendam errantibus veritatis semitam, et ad excitandum in aliis cum mundi contemptu perfectioris vitae desiderium, et ad toti denique Societatis nostrae Instituto permagnam conciliandam

De offic. l. 1. c. 22.

Orat. 33.

Lib. 2 epist. 33.

venerationem. Talis scilicet in illis inerat totius oris et corporis conformata ad modestiam compositio, ut in publicum prodeuntes fere quinam essent noscerentur a solo aspectu. Talium autem parentum nos filii sumus, reverendi Patres et Fratres carissimi, et ne quaeso sinamus hoc proprium Societatis ornamentum et decus incuria nostra obsolescere aut obscurari ! Quare moderatores omnes sollerti cura attendant, ut hae regulae ab omnibus religiose serventur, et ne vel minimum quid minus ordinati sine seria animadversione toleretur. Quippe sancto Ephrem auctore,

De vita spirit. *Eum qui ceteris praeest, peritissimum esse convenit, et ad consulendum saluti subditorum vigilantissimum, atque singulorum observet incessum, gestum, motum et habitum, adhibita etiam earum rerum correctione quae minus conveniunt, ut ad optimum ea statum formamque reducantur. Magistri enim non solum figuras discipulis ostendunt, sed minima quaeque puncta distinctionesque proponunt.*

5° studium rerum spiritualium.

26. Tandem ad hanc cordis puritatem servandam plurimum iuvabit, et omnino necessarium est, ut vere spirituales interioresque homines esse studeamus : sine spiritualium rerum diligenti cura, virtutem hanc servare diu nemo poterit. Hinc merito S. Ignatius cavendum esse monet, ne per spiritualium rerum relaxationem humani et inferiores affectus incalescant. Sensuum certe contumaciam et aculeos insurgere, ubi vigor spiritus non nihil elanguit, Gregorius magnus docet ; quod

Tertia Part. c. 6 §. 1. In. 1. reg. 1.6. c. 1.

et perspicua ratio ac cotidiana experientia commonstrant. Cum enim caro et spiritus sibi adversentur mutua quadam pugna, tantum uni virium accedit, quantum alteri detrahitur ; prorsus ut in librae momentis — nam hac similitudine uti non verebor — si unam lancem leviorem reddideris, necesse est aliam deprimi sinas. Atque hinc concludere licet, quo fervore et studio iis exercitationibus danda sit opera, quibus animus fit alacrior et fortior, ne terrestri oneri corporis succumbat. Contemplatio rerum divinarum et coniunctissima cum Deo familiaritas pias fovet cogitationes, sancta nutrit desideria, delectationes castas in mente generat, caritatem denique producit caelestem, de qua loquitur S. Augustinus : *Sicut amor immundus inflammat animam et ad terrena concupiscenda et peritura sectanda perituram vocat, in ima praecipitat ; sic amor sanctus ad superna levat et ad aeterna infirmat, et ad ea quae non transeunt neque moriuntur, excitat animam.* In ps. 121. Est autem huic amori maxime proprium, teste Nazianzeno, ut ceteros quosque affectus qui natura sua diffluunt constringat, neque pronos patiatur ad sensuum oblectamenta delabi. *Quem ad modum videmus,* inquit, *aquarum profluvia pluribus canalibus inclusa, quae propterea quod nimium comprimuntur atque ad unum feruntur, adeo plerumque aquae naturam excedunt, ut quod retro impellitur, sursum semper tendat.* Orat. 37. cap. 11.

Atque haec de castitate dicta sufficiant, quam

in nobis ad angelicam quandam pulchritudinem ita nitamur expolire atque absolvere, ut unum illud notetur discrimen, quod S. Bernardus exprimit hisce verbis : *Differunt quidem inter se homo pudicus et angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur.* Numquam vero excidat mente dulcissima Salvatoris nostri sententia : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Cuius quidem doctrinae et verba singula et sensum altissimum toto saepe animo recolamus, ut dum consideramus quid a nobis exposcant, studeamus assequi quod promittunt.

De offic. Episc. c. 3.

Matt. 5, 8.

Denique Oboedientiam licet S. Ignatius in celebri epistolato satis commendaverit,

27. Restat tertium spirituale vinculum, quo Deo et Societati obstringimur. Et quidem inutile et supervacaneum videri possit, sive docendi sive adhortandi causa, de sanctae oboedientiae virtute ad vos verba facere, cum prae manibus habeamus et crebra lectione recolamus admirabilem illam sancti patris nostri epistolam, qua quidem nil plenius nil perfectius de oboedientia dici posse existimo : quae enim ad huius virtutis doctrinam et usum pertinent admirabiliter in hac epistola explicata et sapientissime praecepta sunt ; ita ut quicumque veram religiosae submissionis formam cognoscere et induere cupiunt, exquisitae prorsus prudentiae, et consummatae perfectionis documenta ibidem inveniant.

quia tamen nunc temporis

28. Si autem haec virtus nostro vitae instituto omni tempore adeo necessaria fuit, ut, ex mente

S. Parentis nostri, omnis nostra perfectio ac totius Societatis salus atque prosperitas ab ea dependeat ; sane prudens quisque temporis aestimator facile intelleget quantopere commendatam nobis eam habere debeamus hac nostra aetate, qua rursum omnis caro corrupisse viam suam videtur, et infrenata passim falsae libertatis grassatur libido, quae veluti pestifera lues cunctas inficit hominum classes, et ubique arrogantiae et rebellionis spiritum suscitat et late diffundit, unde iam fere incerta nutare omnia, vincula quaeque sanctissima dissolvi,et universae christianae rei publicae summa imminere pericula videamus. Nos igitur si tantis malis, quibus affligitur humana societas, commovemur, eisque pro virili obicem ponere volumus ; si eum in finem apta divinae providentiae instrumenta fieri cupimus in salutem populi christiani, hanc virtutem diligenter colamus, hanc ex regularum praescripto toto cordis affectu amplectamur, atque in ea et constantes et fortes esse studeamus, ut ea ipsi instructi et armati, alios deinde similiter ad sui submissionem ac debitum obsequium permovere valeamus. Si huius virtutis sacro vinculo inter nos erimus iuncti, et velut multa membra in unum corpus compacti, tamquam castrorum acies bene ordinata, irruentibus undique malis resistere, et eos qui per inoboedientiae scelus in interitum iam rapi videbantur, oboedientiae robore et merito salvare poterimus gratia et exemplo ipsius, qui per oboedientiam

praecipue necessaria est.

crucis mundum e servitute daemonis eripuit, et humanum genus a peccati vinculis absolvit.

Numquam ergo memoria cadant praeclara sancti nostri parentis documenta, quibus nos in hac virtute erudire et perficere studuit.

perpendamus ex Instituto in ea virtute omnem nostram perfectionem quaerendam esse;

29. Atque hinc non modo non supervacaneum, sed potius maxime erit opportunum, tum ex ipsa quam laudavimus sancti patris nostri epistola, tum ex aliis constitutionum locis aliquas regulas in mentem revocare, quae oboedientiam nobis commendant; ut dum attentius consideramus quid illae doceant, quo illae spectent, vocationis nostrae scopum, et instituti cui nomen dedimus spiritum facilius assequi possimus.

Ea sane nobis obtemperandi ratio in nostro hoc instituto universim praecipitur, quae sit omni numero perfecta ac absoluta; ita vero illa imponitur, ut in toto nostrarum legum codice plane nihil occurrat, quod tanta gravitate sententiarum, tanto pondere argumentorum constanter inculcetur. Quid enim aliud sibi volunt haec sancti patris verba: *Expedit in primis ad profectum et valde necessarium est, ut omnes perfectae oboedientiae se dedant.* Et illa? *Omnes oboedientiam plurimum observare et in ea excellere studeant.* Et rursum haec? *Ad eum scopum vires omnes ac intentionem in Domino convertamus, ut sancta oboedientia sit in nobis semper omni ex parte perfecta.* Ex his quidem manifestum est, virtutem hic praecipi, in qua ex sancti parentis nostri sententia omnis

Const. Part. 3. c. 1. § 23.

Ibid, Part. 6. c. 1. § 1.

Ibid.

sanctitatis nostrae perfectio consistit. Nec immerito S. Augustinus docuerat : *Oboedientia maxima est virtus,et ut sic dixerim, omnium origo materque virtutum in ea natura, cui sic datum est arbitrium liberae voluntatis,ut eam tamen necesse sit vivere sub potestate melioris.* Etenim cum ad sanctitatem perfectionemque consequendam ante omnia necessarium sit, ut cum prima et suprema omnis bonitatis regula conformemur, eo utique tendit oboedientiae ratio ; adeoque tanta est huius virtutis necessitas, tanta in eius officio eminet honestas, ut praeceptum expendens, quod primis parentibus dederat Dominus, Augustinus scripserit : *Non potuit Deus perfectius demonstrare, quantum sit bonum oboedientiae, nisi cum prohibuit ab ea re, quae non erat mala ; sola ibi oboedientia tenet palmam, sola inoboedientia invenit poenam.*

Contra adversar. legis et prophet. l. 1. n. 19.

In ps. 70, serm. 2.

30. Quoniam vero in hac religiosa vita Dei voluntas nobis superioris voce manifestatur,regulae nos nostrae monent, *ut superiorem, quicumque ille sit, loco Christi Domini agnoscamus ;* ut *versetur ob oculos Deus Creator ac Dominus noster, propter quem homini oboedientia praestatur ;* ut *assuescant omnes non intueri quis ille sit cui oboediunt, sed potius quis ille sit,propter quem et cui in omnibus oboediunt.qui est Christus Dominus;* ut *qui sub oboedientia vivunt se ferri et regi a divina Providentia sinant per superiores suos.* Quorsum vero res eadem assidue repetita et aliis aliisque proposita modis, nisi ut penitus imbibamus animo doctrinam, qua

Superiores quoscumque loco Christo Domini agnoscendos

Sumn. 31, 33. 38.

Summ. 36.

unice consistere potest oboedientiae virtus ac dignitas, Christo scilicet nos servire, dum eius amore homini oboedimus? Cui enim persuasum et animo insculptum non est, quaecumque moderatores praecipiant, ea ipsius Dei praecepta esse, is immerito de oboedientiae virtute gloriatur,nec certe, irruente difficultate, firmus et constans, sed eorum facile simimilis reperietur, quos Sanctus Bernardus hisce verbis perstringit: *Multos videmus post praecipientis imperium multas facere quaestiones: cur? quare? quam ob rem? saepe interrogare,crebras ingeminare querelas, quaerere: quare hoc praecipit? unde hoc venit? qui hoc adinvenit consilium? Inde murmuratio, inde verba redolentia amaritudinem, inde frequens excusatio, simulatio impossibilitatis.* Saltem cum imperata non tam a divina quam ab humana voluntate existimantur profecta, necesse erit illud evenire, quod idem sanctus Doctor *imperfecti cordis* et *infirmae voluntatis indicium* censuit, ut quis *suspicetur de omni praecepto, cuius causa latuerit; nec umquam libenter oboediat, nisi cum audire contigerit quod forte libuerit, aut quod non aliter licere aut expedire monstraverit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas.*

De divers. Serm. 41.

De praecept. et dispens. c. 10.

spiritu fidei; Quare nobis perpetuo ante oculos versetur illud sacrarum litterarum effatum: *Iustus ex fide vivit.* Ex fide scilicet vivimus, utpote qui omne nostrum arbitrium homini non alia de causa ultro detulimus, quam quod firma fide tenemus, ab eo vicariam Dei potestatem in rebus plane omnibus

Rom. 1, 17.

exerceri. Hinc luculentum eiusdem Bernardi dictum: *Non te moveat magister imperitus aut indiscreta potestas; sed memento, quia non est potestas nisi a Deo, et qui resistit potestati, resistit Dei ordinationi. Haec est propria hominis oboedientia, quam homini debemus, qui homini subditi sumus.* Unde quam diu indubitanter credimus praesides, quicumque illi sint, et Dei personam gerere et ab eis Dei iussa nobis significari, tam diu a recto parendi tramite minime deflectemus. Ipse enim Dominus, qui ad suam nos sequelam vocavit, etiam ad hanc fidem nos instituit dicens discipulis suis: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* Haec fides est, quae spiritualem nostram vitam sustentat, et levia reddit ac iucunda, quaecumque superiores imponunt: hic thesaurus est absconditus, quem mundus non cognovit nec intellegere potest. Christum ergo audimus, dum superiori praecipienti oboedimus; praecepta Christi perficimus, dum superiorum iussa exsequimur; aeternam sequimur bonitatem et sapientiam, dum superiorum ordinationi voluntatem nostram nostrumque iudicium subicimus: unde merito cum Apostolo exclamare oboediens quisque potest: *Scio cui credidi!* Plane scimus, et Christo docente didicimus quae sit sanctae oboedientiae sublimitas, quod eius in conspectu Dei meritum, dum Christi amore homini se subicit homo, nihilque sibi reservat, sed totum quod ipse est et quod habet pretiosissimum suo immolat Creatori.

De divers serm. 41.

nec solum opere externo obtemperandum.

31. Ut autem de huius virtutis exercitio distinctius disseram, tria nobis oboedientiae genera sic proponuntur, ut non in uno aliquo haereamus, sed in singulis perfecti esse nitamur. Docet quippe sanctus pater: *Ad eum scopum vires omnes convertamus, ut sancta oboedientia tum in executione, tum in voluntate, tum in intellectu sit in nobis semper omni ex parte perfecta.* Iam vero ipsius operis executionem plenam et integram esse oportere, satis unusquisque perspexerit: et vere dixit Salvianus: *Si pro arbitrio suo servi Dominis obtemperant, ne in iis quidem, in quibus obtemperaverint, obsequuntur. Quando enim servus ex domini iussu ea facit tantummodo, quae vult facere, iam non dominicam implet voluntatem, sed suam.* Verum, quia de religiosa oboedientia sane maius quiddam existimandum est, quam de servi cuiusdam ministerio, quod opere externo absolvitur, id quod voluntarie Deo vovimus, integra etiam voluntate et ex animo est praestandum: quare merito S. Bernardus, *Non potest*, inquit, *oboedientiae gradum ascendere, qui praecipientis voluntatem suam non fecerit. In voluntate sua iustus gloriatur sese Domino confiteri, unde voluntarie, inquit, sacrificabo tibi. Sola ergo voluntas est, quae totius operis ornat effectum, sine qua nec bene aliquid agitur, etiamsi bonum esse videatur.*

Summ. 35.

sed interna voluntate.

De Prov. 1. 1.

De divers. serm. 41.

immo et intellectu.

32. Quid autem de illo genere dicam, quo nullum est sublimius, ut cum voluntate simul offeratur in Christi obsequium intellectus, ipsa,

inquam, hominis mens, quae summum tenet in homine dominatum ? Nam vera oboedientia, ut Gregorius Magnus affirmat, *nec praepositorum intentionem discutit, nec praecepta discernit ; quia qui omne vitae suae iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi praecipitur operatur : nescit enim iudicare, quisquis perfecte didicit oboedire.* Atque hoc ipsum est quod regulae nostrae docent, quod iterum atque iterum inculcant suadentes etiam, ut *omnem sententiam ac iudicium nostrum caeca quadam oboedientia abnegemus ; caeca* scilicet oboedientia, quae nil secundum carnem videat, clarissimo vero lumine caelesti illustrata sit, utpote quae per fidem in homine Deum, cuius homo vices gerat, contempletur, Deo se tota submittat, eiusque in omnibus adoret voluntatem ac aeternam sapientiam sequatur.

In. 1 Reg. I. 2. c. 4.

Summ. 35.

Haec quidem oboedientiae ratio quantum exaltat hominem in conspectu sui Creatoris, cui potissimam sui partem in holocaustum offert, tantum invidiosis carnalium hominum calumniis impugnatur et lacessitur. Carnalis enim sapientia non percipit ea quae sunt spiritus. Unde humana mensura caelestia metientes intellegere non potuerunt, neutiquam perdi aut perire pretiosissimum illud bonum quod Dei amori et servitio immolatur ; neque vilis esse animi signum, sed excelsi et nobilissimi, cum homo divinae providentiae totum se committit, ut non quae sibi placent agat, sed ut in omnibus per hominem Dei vica-

Quem tertium gradum valde sublimem.

rium gubernetur. Tanta vero in hac religiosa submissione inest altitudo animi, quanta in humana arrogantia, quae sibi sola sufficere praetendit, inest animi abiectio.Praeclare in hanc rem S. Augustinus: *Bonum est,* inquit, *sursum habere cor, non tamen ad se ipsum,quod est superbiae; sed ad Dominum, quod est oboedientiae, quae nisi humilium esse non potest. Est igitur aliquid humilitatis miro modo, quod sursum faciat cor,et est aliquid elationis quod deorsum faciat cor. Hoc quidem quasi contrarium videtur, ut elatio sit deorsum, et humilitas sursum.* Ps. 72, 18. *Sed pia humilitas facit subditum superiori, nihil autem est superius Deo, et ideo exaltat humilitas, quae facit subditum Deo. Elatio autem, quae in vitio est, eo ipso quo respuit subiectionem, et cadit ab illo quo non est quicquam superius, et ex hoc erit inferius, et fit quod scriptum est: Deiecisti eos,* De civit, Dei I. 14. c. 13. *dum allevarentur. Non enim ait: cum elati fuissent, ut prius extollerentur, et postea deicerentur; sed, cum extollerentur, deiecti sunt. Ipsum enim extolli, iam deici est.* Quam ob rem illa est laus excelsi animi, si moderatorum iussis et consiliis ita se subicit, ut nihil aliud velit et iudicet quam quod vult et iudicat superior : illud vitium est animi abiecti, si, quamquam imperata non omnino detrectat, se tamen et clarius videre et velle melius elatus putat.

ut assequamur, oportet nos esse humiles, 33. Non diffiteor in hoc oboedientiae genere et magnum quiddam et difficile a nobis exposci; at vero hic responsionem S. Bernardi commode

adhibebo : *non nego difficultatem tantae inesse perfectioni, sed cum ipsa corde imperfecto praesumitur.* Et verbis Sancti Leonis cum nostro parente adiungo : *Nihil arduum est humilibus, nihil asperum mitibus. Modo non desit vobis humilitas, non desit mansuetudo, non utique deerit Deo benignitas ad vos adiuvandos, ut quae sibi promisistis ea praestare possitis animo non solum aequo,sed etiam libenti.* Verum plerumque volentes in hac re decipimur nostra fraude,et quam experimur in oboediendo difficultatem, aut praesidi iubenti aut rebus iussis tamquam causae tribuimus, de animo autem nostro vel minus bene vel etiam male affecto haud ita patimur nos facile persuaderi. *Oboedientia vera,* ait S. Bernardus, *in animum descendere non potest,nisi a mundi huius aspergine pure presseque detersum.*

De praec. et dispens. C.10.

Ep. de ob. n. 15.

De divers. Serm. 51.

34. Qui vero sancto impulsus amore Deo se totum immolavit, nihilque velle, nihil sentire cupit quam quod divina maiestas per superiorem manifestare voluerit, ipse utique miro consolationis affectu ad illa feretur quae sibi ab oboedientia fuerint indicata ; atque ita facile praestabit quod regula exigit, dum *prompte, fortiter, cum humilitate debita, sine excusatione, in spiritu amoris, cum magna celeritate, spirituali gaudio et perseverantia* parendum esse mandat, Quae quidem etsi a me singula explicari non debeant, luculenter tamen apparet non temere in regulis esse expressa ; sed eo cuncta spectare, ut sine intermissione vires omnes intendamus, ne quicquam in

et omnes animi nostri viresintendere.

Summ. 31. Ibid. 33. Ibid. 35.

nobis desideretur quo huius virtutis praestantia imminui possit aut offuscari. Quid tam minimum videatur quam in obsequendo moram brevissimam, prope exiguum temporis punctum interponi ? Et tamen hoc quoque admonemur, ut *ad superioris vocem, perinde ac si a Christo Domino egrederetur, quam promptissimi simus, re quavis atque adeo littera a nobis inchoata necdum perfecta relicta.* Oboedientiae scilicet ratio quae nobis iniungitur, sicut multas necessario virtutes asciscit tamquam administras et comites, ita facultates animi omnes et singulas ad perfectam sui exercitationem omnino exposcit atque convertit.

Summ. 34.

Absoluta enim lex est, nullo usquam saepta limite,

35. Verum praecipuam quandam atque summam excellentiae perfectionem ex eo quoque sibi vindicat, quod, ut dixi, et generibus et numeris absoluta suis, nullo usquam teneatur limite saepta et conclusa. Prorsus ea est quae sic describitur a S. Bernardo : *Legem nescit, terminis non artatur : fertur in latitudinem caritatis, et modum non considerans in infinitam libertatem extenditur.* Oboedientia quippe quam profitemur in Societate, non restringitur certa praecipientis persona : nam, ut ait regula nostra, *valde necessarium est, ut omnes non solum superiori Societatis vel domus, sed etiam subordinatis officialibus, qui ex illo auctoritatem acceperunt, oboediant.* Non circumscribitur peculiari praecipiendi modo, quasi imperii summa necessitas aut mandati denuntiatio exspectanda sit : nam ex fundatoris nostri praescripto sufficere

De praec. et dispens. c. 7.

Summ. 38.

debet significatio, indicium, immo *signum quodcumque voluntatis superioris.* Non limitatur certa rerum iniungendarum definitione : nam *liberam sui ipsorum rerumque suarum dispositionem omnes cum vera oboedientia superiori relinquant, nihil ei clausum, ne conscientiam quidem propriam tenendo, idque non solum in rebus obligatoriis, sed etiam in aliis, licet difficilibus et secundum sensualitatem repugnantibus.* Non relaxatur ullo religiosae vitae decurso spatio : nam sine exceptione ulla *omnes omnino ut oboedientiam plurimum observare studeant* monentur. Et *quia ad progressum in virtutibus faciendum multum confert antiquiorum exemplum, quo reliqui ad imitationem animentur,* uti Sanctus Ignatius admonet, hinc qui aetate veterani annos plurimos in Societate exegerunt, conspicua etiam gesserunt munera, multis perfuncti laboribus et prudentiae ac doctrinae laude sunt ornati, id sibi gloriosum ducere debent, si cum noviciis primaevo spiritus fervore expeditissimis oboediendo certare videantur. Unus est nobis limes, qui hanc virtutem explet, *limes ipse temporis,* inquit Bernardus, *ut is sit terminus oboedientiae, qui et vitae. Hunc nobis maxime Unigeniti Dei commendat exemplum, qui factus est Patri oboediens usque ad mortem.*

Ibid. 33. Ibid. 32. Ibid. 33. Ibid. 31. Ibid. 33. Const. Part. III. c. 1. §. 19. De praec. et dispen. c. 7.

36. Atque ut superius monui, reverendi Patres et Fratres carissimi, in oboedientia ad hanc praestantissimam regularum normam reducta, B. Pater Ignatius praecipuum totius ordinis singulorumque membrorum decorem atque ip-

in qua universae Societatis nostrae decor et salus consistit.

sam salutem positam esse censuit ; adeo ut, si multis quispiam naturae dotibus et praeclaris virtutibus abundet, tamen inde se noverit Societatis fini unice aptum, si temperare, flectere animum noverit ad illorum arbitrium qui Dei nomine praesunt. In oboedientia sapientissimis sanctissimisque legibus decreta B. Ignatius Societatem Iesu constabilitam voluit, et quantum haec virtus accurate servabitur, tantum Societas suo ipsa robore vigebit, et suos in divina gloria amplificanda labores laeto exitu propagabit.

Atque idcirco, ut verbis sancti parentis nostri huic epistolae finem imponam, *in hac Societate nostra, cuius mihi non nullam procurationem ac curam Dominus tradidit, tam diligenter hanc virtutem exerceri vigereque percupio, quasi in ea Societatis nostrae bonum ac salus universa consistat.*

Recapitalatio totius epistolae,

37. Quid igitur superest, Patres reverendi et Fratres carissimi, nisi ut per caritatem illius in cuius Societatem vocati estis, vos orem atque obtester, *ut ne fatigemini animis vestris deficientes ;* sed succincti lumbos et fortes in fide diu noctuque in eam curam evigiletis, ut quae votorum emissione promisistis, voluntate bona et mensura conferta Deo reddatis. Paupertatem igitur ut matrem diligamus, et tamquam religionis murum tutissimum custodiamus. Enitamur et corporis et mentis nostrae munditia angelicam imitari puritatem. Oboedientiam vero observare omnes et in ea excellere studeamus. Haec enim sunt quae Deo

Hebr. 12, 3.

vovimus, et ea si fideliter praestiterimus, fidelis erit Deus, et sua nos gratia iuvabit ac proteget atque promissam denique nobis dabit aeternam mercedem. Nullo igitur sinamus nos timore turbari, nulla difficultate vinci, nulla vi adversa flecti ; sed oculos et corda sursum habentes aspiciamus in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui nostra causa egenus esse voluit, et purissimum, quo nos mundaret, sanguinem inter tormenta effudit factus pro nobis oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Cuius quidem dilecti Filii si Pater caelestis imaginem in nobis fideliter expressam invenerit, Spiritum suum sanctum super hanc quoque minimam Societatem effundet ac super ea requiescere faciet, ut suo eam lumine illustret, suo vigore confirmet, suo auxilio protegat, sua caritate inflammet et suo semine fecundet. *Teneamus igitur spei nostrae confessionem indeclinabilem : fidelis enim est qui repromisit. Ipse autem Dominus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis.* Hebr. 10, 23. II. Thess. 3, 16.

Sanctis sacrificiis et orationibus me valde commendo.

Romae, XV. Aprilis M. D. CCC. LV.

Omnium Servus in Christo
PETRUS BECKX.

EPISTOLA

R. P. N. PETRI BECKX

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE SPIRITU S. P. N. IGNATII

ANNO SAECULARI AB EIUS MORTE EXCITANDO

Trecentesimus a morte S. P. N. anniversarius dies celebrandus est.

1. Cum hoc anno parenti nostro S. Ignatio sacra recurrat dies, qua tertium ab eius morte beatissima saeculum absolvitur, quartumque inchoatur ; non possum quin, hac data opportunitate, paucis saltem vos alloquar et pietatis affectum in patrem amantissimum excitem. Etenim si gratum Deo est, eos a nobis honorari quibus mortalem vitam acceptam referimus ; multo ei sine dubio gratius erit et acceptius, illum a nobis coli qui ad hanc vitam spiritualem in Christo Iesu nos genuit, et, si eius vestigiis fideliter inhaeremus, ad vitam quam quaerimus beatam in caelis deducet. Ecquid autem huic pietati magis congruum quam illius nos diei memoriam recolere, qua mortalis huius vitae doloribus solutus, vitam induit immortalem, et ad intuendam, quam in terris degens unice sitiebat, divinae maiestatis

gloriam assumptus est? Quid vero nobis ipsis salubrius meliusque esse potest, quam una cum praemiis quae Ignatius in caelis adeptus est, virtutes quibus haec in terris meruit recolere, eiusque suffragia et auxilia implorare, qui tanto est ad opitulandum potentior, quanto factus est omnipotenti Deo et Patri misericordiarum propinquior?

Licet publice nihil novi consuetis addendo,

2. Et licet tum alia rationum momenta, tum haec ipsa quae vivimus tempora suadere videantur ut sollemniis, quae ad Christi fidelium aedificationem in ecclesiis publicis fieri consueverunt, hac de causa nihil novi addatur; eadem tamen temporum condicio nos vehementur impellere debet, ut intra domesticos parietes pietatis nostrae affectum erga sanctum parentem tanto impensius in nobis excitemus, eiusque fructum tanto diligentius prosequamur. Cupio igitur et quam plurimum commendo, ut appropinquante festo S. Ignatii, praeter devotionis et paenitentiae exercitationes quae quotannis ab omnibus in communi vel ex patris spiritualis directione a singulis fiere consueverunt, non nullae omnibus communes a superioribus determinentur, quibus per octo vel novem dies nostri ad consueta sollemnia digne peragenda, et ad impetrandum potentissimum beati patris patrocinium diligenter se praeparent ac disponant.

tamen intra parietes domesticos,

peculiaribus devotionis officiis

et sanctis desideriis, eius

3. Iam vero dubitare non possumus quin pietatis nostrae obsequia, quo et Deo ac beato

spiritum in nobis suscitando.

Ignatio gratiora exsistant nobisque utiliora, eum in finem cuncta sint dirigenda, ut imitari non pigeat quod celebrare delectat ; atque idcirco, non solum vitam et mores quibus ipse Domino placuit vita et moribus nostris exprimamus, sed praesertim ut eodem spiritu duci et regi nos sinamus quo ipse Domino servivit. Haec est copiosa hereditas, quam beatus pater moriens filiis suis reliquit, verae sanctitatis thesaurus. Et nisi nostra omnium opera Societas hoc thesauro ditescat, nisi hunc thesaurum studiose conservet, nisi ex huius thesauri proventibus vivat ; neque Deo accepta esse, neque scopum ob quem condita est contingere, neque salutis fructus quos Ecclesia a nobis requirit proferre potest.

Necesse omnino est utile spiritus conservetur.

4. Facile vos ipsi cernitis, reverendi Patres et Fratres in Christo carissimi, Societatis huius corpori, nedum ad operandum sed etiam ad vivendum, nihil tam necessarium esse quam ut idem spiritus, quem a prima sua origine per S. Ignatium divinitus hausit, in ea conservetur et vigeat. Multa quidem in rebus humanis commutari cotidie videmus, atque temporibus aliis alia ad finem qui nobis propositus est adminicula utiliora et efficaciora esse possunt. Quapropter a sapientissimis quibusque viris merito laudatur eximia S. P. Ignatii prudentia, qui ex his ad finem consequendum adminiculis aliqua non legibus definiri, sed sive a Societate universa, sive etiam a superioribus singulis temporum ac locorum

personarumque rationi accommodari voluerit. At vero intimum illum de quo loquor, et proprium quo S. Pater operabatur spiritum, quaecumque sit rerum humanarum varietas et inconstantia, eundem semper esse in Societate et immutabilem perseverare oportet. Ut enim tenebrarum harum scelestissimus princeps, adversus quem Societas nostra sub Iesu vexillo congregata est, tela quidem temporibus aliis alia parat, eodem vero nequitiae spiritu quolibet tempore accensus est; ita etiam haec minima nostra Societas, ut in hoc certamine valeat et vincat, arma mutare aliquando potest, animum vero et spiritum non potest. Et sicut ille nequissimus, qui *homicida erat ab initio*, Ioan. 8, 44. cum alias atque alias excogitat nocendi artes, nihil variatione illa proficit, nisi per illas idem illud virus quo plenus est, mortalium animis infuderit, sic neque Societas operibus externis, ut apte inventis et dispositis, scopum suum consequi potest, nisi ab interno illo sanctitatis vigore vis et efficacia ad exteriora permanet. Ad hoc igitur quicumque S. Ignatii filii sumus totis viribus coniti debemus, ut spiritualem illam vitam, cuius primitias Societas nostra per S. Ignatium accepit, in nobis conservemus et foveamus.

5. Iam vero ad hunc primaevum Societatis spiritum in nobis excitandum fovendumque, non quamlibet virtutis exercitationem sufficere vocationi nostrae credamus. *Spiritus* siquidem ille, qui, teste Apostolo, *omnia operatur in omnibus*, 1. Cor. 12, 6. Nec sufficit ad hoc virtus communis;

Ephes. 4, 11. *quem ad modum ab exordio quosdam dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores,* ita etiam singulis temporibus dona et operationes in electorum salutem distribuit ; atque cum solus ipse bona omnia unus in se contineat, corpus mysticum Ecclesiae ita temperat ac moderatur, ut in membrorum actuumque mirabili varietate bonitatis suae infinitae imago luculenter appareat. Quae vero in hac divinae clementiae dispensatione per S. Ignatium Societati Iesu partes praecipuae delatae sint, ipsius Romani Antistitis Urbani VIII verbis excipite. *Ineffabilis Dei bonitas et misericordia, quae miro consilio suis quaeque temporibus apte disponit, ut praeteritis saeculis sive ad disseminandum Evangelium inter gentes, sive contra subnascentes haeresiarchas destinavit plures sanctitate et doctrina illustres viros ; ita novissimis temporibus, cum.. et in longinquas Indiarum terras, ac.. novum in orbem ad occidentem aditus patefieret, veterem autem religionem omnemque illius sanctitatem ac perfectioris vitae professionem Lutherus aliaeque detestabiles pestes... depravare et Sedis Apostolicae auctoritate detrahere conarentur : excitavit spiritum Ignatii Loyolae, qui ex medio honorum cursu et a saeculari militia admirabili quadam ratione vocatus, ita se divino imperio regendum et formandum tradidit, ut demum novam Societatis Iesu religionem fundaret, quae inter alia pietatis et caritatis opera gentilibus convertendis, haereticis ad veritatem revo-*

sed ex verbis Urbani VIII in bulla canonizationis,

candis et Romani Pontificis potestati tuendae ex instituto se totam impendit.

6. En igitur, reverendi Patres et Fratres in Christo carissimi, quibus in rebus ille Ignatii spiritus, qui Societatem Iesu genuit aluitque, cernatur ; ut scilicet abiectis mundi illecebris et spreto vitae mortalis honore, Dei se imperio eiusque in terris Vicarii auctoritati tuendae totam se mancipet, ac diu noctuque succincta lumbos ad omnem, in tota qua late patet Domini vinea, sustinendum laborem parata sit, nihil aliud quaerens atque suspirans quam maiorem in omnibus Dei immortalis gloriam, et pro omni labore praeter aeternam in caelis aliam nullam postulans mercedem. demonstratur quales nos esse oporteat.

7. Quid si hanc propriam instituti nostri rationem, quam ante oculos semper habere nos oportet, plenius cognoscere voluerimus, eam procul dubio ipse Ignatius copiose et perspicue nos edocebit. Regulas, inquam, et statuta quae ab ipso accepimus, consulamus ; et ex eis rationem vivendi et operandi, quam ipse tenuit et quam nos sub eius disciplina tenere oportet, facile cognoscemus. Idem plenius cognoscitur ex Constitutionibus nostris,

8. Et hic quidem admirabilis illa, quam paulo ante commemorabam, S. Patris prudentia maxime elucet, quod in iis quae ad externam vitam et actionem Societatis pertinent, quaeque idcirco a mutabili rerum humanarum condicione dependere solent, sanctam quandam agendi et disponendi libertatem superioribus relictam voluit ; quarum si corticem mutabilem esse voluit S.P.N.

quae vero ad internum hominem spectant qualem
at minime spiritum haec nostra vocatio requirit, quaeque ad spiritum referuntur qui animare nos et in externis dirigere debet, ea, inquam, et clarissimis verbis ipse definivit et, ut in perpetuum fixa maneant et immutata, gravissimarum legum pondere stabilivit et confirmavit.

paupertatis, 9. Itaque, ut Societas in omni verbi ministerio maiore libertate et abundantiore fructu versaretur, ad communem paupertatis observantiam adiecit, ut ne dona quidem sponte oblata, quibus Societatis ministeria compensari videantur, admitteret. Unde non solum praecepit ut paupertatem omnes amemus, eamque in omni vivendi ratione quaeramus et exerceamus ; sed quo certius haec paupertas tamquam religionis murus firmus in hac Societate custodiretur, et perpetuo illaesa exsisteret, singulari prorsus industria et prudentia providit ut de ea relaxanda et mitiganda ne deliberari quidem in comitiis Societatis liceret.

castimoniae, 10. Quo autem castimoniae virtus, quae angelicam puritatem aemulari debet, in media hominum conversatione et nobis securior et aliis amabilior redderetur, constanti eam modestiae et humilitatis custodia, sensuumque mortificatione saeptam voluit et communitam.

oboedientiae, 11. De oboedientia vero quid dicam? Nam ut probe nostis, reverendi Patres et Fratres carissimi, satis non habuit beatissimus Ignatius eam omni ex parte perfectam absolutamque a suis filiis

exigere ; sed eam ultra consuetos vitae regularis limites extendens, ad maiorem Societatis nostrae humiliationem et pleniorem unius cuiusque mortificationem, singulos professos voti religione obstringi voluit, ut quicquid Christi in terris Vicarius ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens praecepisset, id sine ulla tergiversatione aut excusatione ilico, quantum in nobis esset, exsequeremur, etiamsi in terras longinquas et barbaras ad subeundos duros labores et in media rerum ipsiusque vitae discrimina mitteremur.

12. Et quoniam eorum qui in omnium luce versantur, virtus et perfectio nec facilius nec periculosius quam vanae gloriae illecebra tentatur ; ad arcenda ambitionis pericula, honores quoscumque, etsi sacros, nedum quaeri a nobis et expeti, sed etiam ultro delatos admitti quam severissime omnibus vetuit. humilitatis.

13. Ut denique paucis cuncta complectar, tum demum ex S. Ignatii sententia Societatis spiritu imbuti erimus, si, ut eius verbis loquar, *non ex parte, sed omnino abhorreamus ab omnibus quae mundus amat et amplectitur, admittamusque et concupiscamus totis viribus quicquid Christus Dominus noster amavit et amplexus est.* Humilitatis tertium gradum amplecti, Summ.Const. II.

14. Sic igitur in hac sacra militia versari nos voluit, ut Christum ducem ante oculos habentes non solum mundi, carnis et vanae gloriae illecebras spernamus, sed etiam quae iis omnino con- nostrum esse voluit S. P. N.

traria sunt, ludibria, molestias, dolores atque aerumnas ardenter nobis optemus ac lubenter amplectamur.

Fugiamus ergo quae huic gradui adversantur,

15. Ecquis igitur blandiri sibi merito possit, ut Ignatii patris spiritum in se habere confidat, si adhuc futtilibus huius mundi rebus delectetur, labores et molestias refugiat suisque commodis inhaereat ; si patriae amore detineatur, et carni et sanguini acquiescat ; si laudibus hominum inhiet, humiliari autem et confundi exhorrescat ; si ad ardua et magna quaeque ubique locorum aggredienda vocatus, in infimis quibuscumque haereat, et ad parva etiam et levia pro Dei gloria praestanda tardum se et ignavum exhibeat ?

memores vocationis nostrae.

16. Eia, Patres et Fratres amantissimi, memento-te, quaeso, vocationis vestrae, et sublimem perfectionem, ad quam beati patris nostri exemplis et monitis provocamur, assidue ante oculos habe-tote ; et dum quod ipse, Deo opitulante, praestitit, vobiscum ipsi consideratis, magno etiam affectu ad imitandum, quod in ipso miramur, accendamini. Excitet igitur nos beati nostri patris dulcis memoria, acuat et exstimulet nec quiescere sinat, donec qua supplici prece, quae virili conatu illum in nobis divinum ignem accenderimus, quo Ignatius constanter ardebat, et quem in nobis omnibus voluit vehementer accendi.

Secus enim ne cortex quidem Constitutionum servaretur,

17. Equidem non video an fieri possit ut quis hoc sancti Ignatii spiritu destitutus externas Instituti nostri leges observet ; verum illud pro com-

perto habeo, ut quis se verum Ignatii filium probet, ne hoc quidem satis esse, ut praescripta ab eo opera praestet, nisi eo animi affectu praestet quem Institutum nostrum requirit. Quis autem est hic animi affectus, nisi *amoris illius lex, quam S. Spiritus scribere et in cordibus imprimere solet,* quamque beatus pater tanti fecit, ut per illam magis quam per ullas externas constitutiones Societatem et conservari et in divino servitio promoveri posse confideret ? Quare non contentus hanc suam sententiam in ipso constitutionum exordio declarasse, eandem multis in locis iterato exprimit atque confirmat. Et in primis quidem monitos omnes nos voluit, minime satis esse, si divinae gratiae impulsu hoc vitae genus amplexi simus, in eoque perseveremus ; sed conitendum nobis sedulo esse docet, ut eodem hoc divini amoris affectu in rebus singulis sive magnis sive exiguis ducamur ; *id semper sincere spectantes, ut placeamus divinae bonitati... exuentes nos, quantum fieri possit, amore rerum creatarum omnium, ut affectum universum in ipsarum Creatorem conferamus.* Qua de causa qui Societatem hanc nostram ingredi cupiunt, eos edoceri iubet, non alios in illam admitti, nisi qui Dei obsequio se totos devovere, et quicquid in mundo habebant ita relinquere statuerint, *ut mundo et proprio amori mortui Christo Domino nostro soli vivant, eumque loco rerum omnium habeant.* Quos deinde in tirocinio ita praecipit instituti, ut per omnia religiosae disciplinae exercitia

Summ.Const. 1.

nec certe earum spiritus attingeretur a nobis.

Summ.Const. 17.

Summ.Const. 8.

quocumque in ordine et

gradu constitutis; hanc felicem mortem Dei amore expetant, qua vera vita, quae Christus est, in eis oriatur et vigeat. Sive igitur conscientiae latebras patefaciant, sive ab aliis se corrigi boni consulant aut ad aliorum correctionem iuvent, sive alia ratione perversae naturae appetitus comprimere studeant ; haec omnia debito cum amore, pura voluntate ac spiritualis profectus desiderio praestare, atque in ipsa mentis corporisque exercitatione cavere sibi iubentur, ne alio quam divini obsequii intuitu ducantur. Neque satis fuit sancto parenti nostro Societatem universam verbis monuisse gravissimis, ut labores quos suscipit, opera quae aggreditur, munera quibus fungitur, magna mentis puritate non alium in finem dirigat, nisi ad maiorem Dei gloriam hominumque salutem ac in virtutibus profectum procurandum ; sed sociis deinde omnibus et singulis, quocumque in ordine et gradu exsistant, hoc idem omni qua potuit verborum gravitate inculcat. Itaque qui ad auxilium Societatis in rebus temporalibus admittuntur memores esse iubet, *se in ea re obsequium et laudem praestare suo Creatori ac Domino, ob cuius amorem reverentiamque in eis elaborant.* Qui in litterarum studia incumbunt, ut *nihil aliud in eis quam Dei gloriam et animarum fructum quaerant*, monentur. Qui vero munus gerunt docendi, propositum sibi esse sciant, *ita litteras proximis tradere, ut ad Creatoris ac Redemptoris nostri cognitionem et amorem excitentur.* Qui denique divini

Reg. 1. Coadi.

Reg. 1. Schol.

verbi ministerio funguntur, summo coniti iubet studio, *ut per caritatem et puram intentionem Deo coniungantur*, quo scilicet *apta sint instrumenta ad animas creatori suo reducendas.* Quorsum vero haec eiusdem rei tam frequens commemoratio? Voluit quippe sanctus pater noster, ut rite sciamus ac mente assidue volvamus, quis sit ille spiritus qui datus est nobis, quique per Societatem universam, haud secus atque anima per omnes corporis partes, diffusus membris singulis vigorem tribuit et actum, quo ad ardua quaeque pro divinae majestatis gloria agenda et ferenda excitentur et roborentur. Reg. 2. Conction.

18. Quare B. Pater praecitatis constitutionum locis, dum quae ad vitae nostrae perfectionem pertinent copiosa brevitate simul cuncta perstringit, etiam animi affectum designat, quo ad ea amplectenda ferri debeamus et ad eadem praestanda apti reddamur. Ubi enim *non ex parte, sed omnino abhorrere* nos iubet *ab iis quae mundus amat et amplectitur, admittere autem et concupiscere totis viribus quicquid Christus Dominus noster amavit et amplexus est;* ibi etiam luculenter docet, eos qui procedunt in spiritu non alio mentis affectu ad hoc moveri debere, nisi ardenti Christi Iesu amore: *In fide* scilicet vivant *Filii Dei, qui dilexit* nos *et tradidit semet ipsum pro* nobis. Quam quidem Dei patientis caritatem intuentes, caritate etiam ipsi accendantur, nec labores aut pericula, nec tribulationem aut angustias, nec cum id spectet ad omnes perfectionis studiosos, Summ. Const. II. Galat. 2, 20.

famem aut nuditatem, nec mortem denique ipsam refugiant ; sed *hoc in se sentientes quod et in Christo Iesu*, ardenter cupiant et exoptent eius in se imaginem exprimere, eiusque *veluti veste et insignibus indui, ut in omnibus quoad eius fieri poterit, divina gratia aspirante, eum imitari et sequi, cum vera sit via, quae ducit homines ad vitam*, valeamus.

Summ. Const. II

tum praesertim ad nos nomine Iesu insignitos.

19. Hoc scilicet Iesu amore totus ardebat Ignatius ; hoc igne divino accensos nos voluit quotquot sub eius disciplina Domino famulamur. Ut autem huius amoris flamma numquam exstinguatur, ut semper memores simus *cui serviamus* et cuius honorem et gloriam in omnibus quaerere debeamus ; praeter suum spiritum, qui est spiritus Christi, dulcissimum quoque Iesu nomen tamquam pretiosissimam hereditatam nobis reliquit. At vero neque digne Iesu nomen portat, qui Iesu amore non aestuat ; neque Iesu socius appellari meretur, qui Iesum imitari, eique in omnibus assimilari non studet. Et sicut appellatio nos a ceteris distinguit, ita et affectu et seria voluntate eum in omnibus imitandi insigniri nos oportet.

Hoc voluimus cum amplexi sumus Societatem;

20. Et quid tandem fuit, reverendi Patres et Fratres carissimi, quod nos initio e saeculo evocavit et ad Societatem Iesu ingrediendam commovit ? Numquid non hoc ipsum desiderium fuit Iesum Dominum nostrum imitandi eiusque nomen glorificandi ? Nempe cum novissemus Societati

propositum esse ut Iesu Christi vitam quam proxime imitetur, et sub eius vexillo non solum saluti et perfectioni propriae vacet, sed in alienam quoque promovendam impense incumbat, partem aliquam in hoc operum divinorum divinissimo habere cupiebamus. Atqui ut hunc finem consequamur, ad Iesu apostolorumque exemplar in medio nos saeculo versari, et cuilibet hominum generi permisceri non raro oportet. Nisi igitur spiritum nostrae vocationis habeamus, nisi ille spiritus spiritui huius mundi contrarius in nobis sit, nosque totos, ut ita dicam, teneat et occupet; manifesto periculo exponimur, ne suo nos habitu mundus inficiat et perdat, eorumque nos similes reddat, quos nostra ope in imaginem Iesu Christi reformari oportebat.

hoc praestiterunt Maiores nostri;

21. Quod si praeclara patrum nostrorum gesta consideremus, an putabimus eos aut intactos potuisse in medio huius saeculi profluvio consistere, aut tantum ad Iesu Christi regnum dilatandum valuisse, nisi illo quem S. Ignatii exemplo et institutione hauserant spiritu repleti fuissent ? Hoc spiritu facta carnis in se mortificantes Deo vivebant et Christo confixi cruci mundum et blandientem spernebant, nec minitantem formidabant.

hoc exspectant a nobis boni,

22. Et quid tandem eos qui Christum eiusque Ecclesiam diligunt impellit ut tanta nos benevolentia excipiant, tanta fiducia et liberalitate pios nostros conatus adiuvent ? Nimirum

eodem nos quo Ignatius primique eius socii spiritu imbutos, nec tantorum patrum dissimiles esse filios credunt atque confidunt : *Homines* scilicet *mundo crucifixos et quibus mundus ipse crucifixus sit : qui suis se affectibus exuerint ut Christum induerent, sibi mortuos ut iustitiae viverent : qui in laboribus, in vigiliis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis se Dei ministros exhibeant ; et per arma iustitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera denique et adversa magnis itineribus ad caelestem patriam et ipsi contendant et alios etiam quacumque possint ope studioque compellant, maximam Dei gloriam semper intuentes.*

Summa et scopus nostrarum Constit.

23. Quoniam tales Ignatii filios et esse credunt et semper fore exspectant, Societatem Iesu et boni desiderant petuntque, mali autem oderunt et pertimescunt. O beatos nos, si nec horum timor fuerit vanus, nec spes illorum inanis !

mali vero in nobis oderunt et pertimescunt ;

24. Vocat nos, Patres et Fratres carissimi, vocat nos de caelestis gloriae throno et invitat, qui paterno nos et tenerrimo amore complectitur Ignatius, et crucis vexillum pandens aspicere nos iubet *in auctorem fidei et consummatorem Iesum.* Accedamus, Fratres, nec inferamus crimen nomini nostro. Dies mali sunt, et adversarii multi ; sed *fidelis Deus*, qui nos vocavit *in Societatem filii eius Iesu Christi Domini nostri.* Non est quod timeamus, duce Ignatio Iesum sequentes.

ad hoc denique invitat S. Ignatius de caelo.

Heb. 12, 2.

1. Cor. 1. 9.

Fidelis Deus, ac si nos ei fuerimus fideles, *faciet* 1. Cor. 10, 13.
ipse cum tentatione proventum. Ad certamen appellat, sed certantes quoque ipse confirmat ac protegit, atque ad certum triumphum deducit. Accedamus ad patrem suavissimum, eique nos et nostra omnia ac universam quam ipse instituit Societatem commendemus, ut eam potentissimo suo suffragio defendat et salvet, suumque spiritum in omnes nos effundat : ut *eius auxilio et imitatione certantes in terris coronari tandem cum ipso mereamur in caelis.*

Omnium SS. sacrificiis et orationibus me valde commendo,

Reverendi Patres et Fratres carissimi,

Romae, VIII Iunii M.D.CCC.LVI.

Omnium Servus in Christo
PETRUS BECKX.

EPISTOLA

R. P. N. PETRI BECKX

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

QUO SPIRITU PRAESENTIS TEMPORIS TRIBULATIONES SINT PERFERENDAE

Ratio scribendi

1. In postremo patrum procuratorum coetu semel et iterum congregatos patres, et per eos in diversis regionibus dispersos socios alloquens, Societatis nostrae arduam atque ancipitem condicionem ante oculos posui. Cum vero molestiae quae tunc temporis nos premebant non leniri, et pericula quae timebamus non minui videamus, pro sollicitudine quam de communi sociorum salute habeo, vos omnes, reverendi Patres et Fratres carissimi, communibus hisce litteris alloqui et animi mei erga vos affectum aperire constitui. Si etenim singulorum casus adversos non possum non graviter commiserando intueri, ut liceat mihi verbis uti apostolicis : *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* quanto magis animus excruciatur meus, dum gravibus aerumnis et multiplici calamitate permagnam Societatis partem, ac vix non univer-

2. Cor. 11, 29.

desumitur ex afflicto societatis statu.

sam affligi conspicio! Complures paucis ante annis florentes provinciae penitus sunt eversae, domicilia nostra ab hostibus occupata, bona direpta, et socii vel in longinquas regiones extorres, vel per saecularium domos dispersi; et dum provincias has restituendi spes certa adhuc nulla ostenditur, aliae quoque non nullae inimicorum machinatione in assiduo metu consimilis fortunae versantur; sunt etiam, quae inter belli tumultus et excidia laboribus et periculis exercitam vitam ducunt; postremo licet in hac ipsa tribulatione divinam erga nos clementiam omnes merito admirari debuerimus, non unum tamen, vel illusione deceptum vel molestia victum, a recto virtutis tramite deflexisse vehementer dolemus. Quae omnia saepenumero mecum considerans, novit Deus quantopere desiderarem et desiderem, vos Patres et Fratres carissimi, qui fideles permansistis in tentationibus, omnes et singulos amplecti, atque paterno alloquio consolari, reficere et confirmare. Grave siquidem mihi debitum incumbit et sollicita cura tenet, ne, ex tot in Christo filiis dilectissimis, vel unus sub onere fatiscens in bene coeptis deficiat et a regia crucis via fugiat, aut non illa qua decet alacritate, per eam ad propositam nobis metam contendat. Verum quod coram exsequi non datur, id per litteras, quoad potero, conabor efficere, vobiscum expendens quaenam inter horum temporum acerbitates nos deceat animi sensa fovere, ut divinae voluntati, quae

nihil non ad suam gloriam nostramque salutem disponit, respondeamus, et in hac ipsa tribulatione Dei protectione et favore gaudeamus.

Ex fine nostro proprio

2. Atque ut inde exordiar unde et munerum quae in nos misericordissimus Deus contulit pars praecipua repetenda est, et malignorum hominum adversum nos odia effervescunt : revocate, quaeso, in mentem, Patres reverendi et Fratres in Christo dilectissimi, quorsum et quem in finem summa sapientia et bonitas Dei creatoris nostri ac Domini minimam hanc Societatem nostram e medio Ecclesiae excitaverit, sanctissimoque Iesu nomine insignitam voluerit. Sacram videlicet cohortem instituit, quae sub crucis vexillo militans gloriam Redemptoris inter christianas nationes amplificaret, et salutare quod gerit nomen, gentibus quae ignorant Deum annuntiaret, omnesque qua patet orbis mortales ad eius cognitionem et amorem perduceret ? Quocirca si *vitam hominis super terram*, nullo mortalium genere exempto, *militiam esse* sacrae litterae pronuntiant, militiae laboribus et periculis vacua nec potest nec debet esse vita illorum, in quibus militanti Ecclesiae, ipsa testante, Deus novum quoddam subsidium provideri voluit. Quam quidem divinam electionem quilibet nostrum velim intimo animi sensu consideret, ut sponsionem qua ad hanc militiam accessit, et divino salvatori ac duci ad proeliandum proelia Domini se mancipavit, numquam non fixam ante oculos teneat. *Apostolus*, ut cum S. Leone Magno

Job. 7, 1.

pro Christo militantes,

vos alloquar, *Apostolus praedicat dicens*: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur, et ideo numquam deest tribulatio persecutionis, si numquam desit observantia pietatis.* Quam omnibus impositam necessitatem pro Christo et cum Christo patiendi, idem S. Doctor rursus ipsius divini magistri sermone ostendens, dicit: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus*: *Nec*, ait, *dubitare debemus, hanc vocem non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles totamque Ecclesiam pertinere, quae salutare suum in his que aderant universaliter audiebat.* Quam ob rem si omnes Christi fideles, ut se veros eius discipulos probent, ad perferendos labores et molestias prompti ac parati semper esse debent; quanto magis nos decet Christum hac in via toto cordis affectu sequi, atque in eius crucis amplexu animo magno et volenti perseverare; nos, inquam, qui hac ipsa de causa, movente nos Spiritus sancti gratia, religiosam vitam in Societate expetivimus, ut caelestis regis et ducis amantissimi obsequiis nos prorsus manciparemus, nec solum ad laborum tolerantiam promptos nos exhiberemus, sed ut eius amore accensi maiora et praeclariora quaedam munera ei offerremus; totiens enim coram eius infinita bonitate et in conspectu Virginis Matris attestati sumus, hunc esse animum nostrum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, ut quam possemus proxime Christum sequeremur, eumque in ferendis iniuriis atque adversis

Serm. 9 de Quadrag. a. 1. II, Tim. 3, 12

Matth. 10, 38.

omnibus imitaremur; qui tandem per ipsam in corpus Societatis admissionem pignus accepimus indubitatum, sanctissimae eius maiestati placuisse, ad tale nos vitae institutum eligere oblationemque nostram ratam habere. Quae cum ita sint, si Christi milites sumus, si ad maiorem eius nominis gloriam propagandam sacrae huic militiae nomen dedimus, quis miretur nostrum hoc vitae genus, militari simillimum, gravissimis huius belli laboribus atque periculis esse obnoxium? Quis, inquam, miretur ab iis nos singulari odio haberi, atque omni adversitatum genere vexari, qui Christum ipsum odio habent, eiusque sanctissimam religionem omni qua possunt arte et nequitia deprimere satagunt? *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum.* Si Iesum persequuntur, cur non persequantur eos qui eius nomine gloriantur, qui eius causam tuentur? Quid igitur, Patres et Fratres carissimi, quid superest, nisi ut *aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum* hoc nobis plane persuadeamus, sicuti *oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam*, sic et nos oportere ad propositum nobis bravium, quod eadem Christi Domini gloria nostraque beatitudo est, animo generoso et forti malorum perpessione contendere. *Sudatur* enim, verba sunt S. Cypriani, *quam diu istic vivitur et laboratur; nec sudantibus et laborantibus possunt alia magis quam patientiae subvenire solacia. Quae cum apta sint et necessaria in*

pro Christo persecutionem patimur

Matth. 10. 24.

Heb. 12, 2.

Luc. 24, 26.

De bono patientiae.

isto mundo universis, tum magis nobis qui diabolo impugnante plus quatimur, qui in acie cotidie stantes, inveterati et exercitati hostis colluctationibus fatigamur.

S. Ignatius adversitates non timebat.

3. Neque vero alia fuit inde a primordio sors et condicio nostrae Societatis, quae non tam distinctis temporum intervallis, quam adversis fortiter toleratis proeliisque feliciter per Dei gratiam commissis, aetatis suae annos numeravit. Beatus certe parens noster Ignatius ancipitem hunc statum adeo non timuit, immo vero professioni nostrae adeo consentaneum existimavit, ut sicubi nostrorum coeptis infestiora inimicorum odia atque impetus obsisterent, inibi uberiorem vitae aeternae fructum perceptum iri confideret. Et sane si Societatis annales evolvimus, in asperis maxime temporibus miserentis Dei benignitatem prorsus singularem emicuisse deprehendimus. Siquidem ex his divina bonitas non incolumem modo Societatem eduxit, sed bona etiam plurima in eiusdem Societatis emolumentum suique nominis gloriam protulit. Quid equidem tam hoc loco commemorem, quam ipsorum sociorum in divino servitio progressum, et admirabilia virtutum incrementa? Ut enim spiritualis homo persaepe tribulatione nascitur, ita hoc pane maxime nutritur, augescit, roboratur. Hinc mira illa maiorum nostrorum humilitas, Societatis hominibus adeo necessaria, ut humana laude et confusione contempta, Dei solius honorem et gloriam ex animo consectarentur.

Fructus ex adversitate provenientes

Hinc eximia illa caritas, quae Socios ingenio, studiis, natione diversos tanto artius semper in Domino coniunxit, quanto acrioribus improborum odiis impetebantur. Hinc mundi contemptus; hinc flagrans Dei amor veraque illa sapientia, quae quicquid momentaneum et caducum est despiciens, ad sempiterna anhelat, solumque Deum pura mente sectatur. Quapropter mirum nobis videri non debet, hisce ipsis insectationibus, cum alios multos tum nominatim S. Franciscum Borgiam, ad Societatem allectos fuisse, quod scilicet eam a mundi amatoribus tam acriter et iniuste oppugnatam atque afflictam viderent. Spectaculum enim ipsa quoque facta erat Deo, Angelis et hominibus. Qua de causa merito gratulari nobis ipsi debemus, ac singulares Deo gratias persolvere, quod haec tempora nostra instituti nostri primordiis hac in parte plane respondeant; nec propterea, quod a mundo vexamur, de virtutis studio et in Deo fiducia quicquam remittere fas est; sed maiorum instar eo diligentius tempore malo ad perfectionis nostrae augmentum uti, atque eo vel magis Deo fidere debemus, quo iniquiora nobis moventur certamina. Reminisci oportet verba Domini admonentis: *In mundo pressuram habebitis: sed confidite, Ego vici mundum.*

Ioan. 16. 33.

Per adversitates Deus peccantes emendat,

4. Est sane, nec infitior, Patres Fratresque in Christo carissimi, cur pudore suffusi, demisso vultu fateamur longe nos abesse ab illa perfectione virtutis, qua tam multi e nostris maioribus

excelluerunt, et ad quam nos haud secus atque illi vocati sumus. Non parum quippe humani in nobis est, immo vero tantum, ut in multis omnes identidem offendamus. *Si enim dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Quam Apostoli sententiam beatus Leo expendens : *Quis*, inquit, *invenietur ita immunis a culpa, ut in eo non habeat, vel iustitia quod arguat vel misericordia quod remittat?* Merito igitur nos existimabimus, Pratres Fratresque carissimi, quae patimur mala, occulto quodam Dei iudicio ad nostrarum expiationem culparum, et ad emendationem nostrorum defectuum nobis immitti. Neque enim iustus Iudex omnium sive merita sive errata eadem aestimatione metitur, sed *cui multum datum est, multum* requiret *ab eo.* Tot igitur ac tantis a Domino praeventi beneficiis, tam saepe ad fervorem gratiae eius stimulis superiorumque admonitionibus excitati, tam multis vocationis nostrae subsidiis adiuti, tam copiosis et tam firmis saeptis ac praesidiis a Deo circumdati ; si, inquam, tot et tanta salutis media habentes, nihilo minus et committimus quae purissimos Dei oculos offendunt, et iniunctum nobis opus neglegenter exsequimur, magna promittentes et exigua praestantes ; est sane, cur in tribulatione positi gementes dicamus : *Tibi Domine iustitia, nobis autem confusio faciei.* Verumtamen, neque etiam hinc fiduciam amittere debemus ; sed potius in spem erigi et ad meliora excitari, ut S. Ioannes nos

1. Ioan. 1, 8.

De Epiph. Serm. 7, n 3

Luc. 12, 48.

Dan. 9, 7.

admonet, dicens : *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ob omni iniquitate.* Quod si ita est, nonne grata nobis erunt adversa, quae tanta nobis procurant bona, et a clementissimo Domino permittuntur, non ut affligat et perdat, sed ut mundet et salvet ? O nos felices, si imperfectum nostrum lugentes sub manu potente illa inclinemur, quae dum flagellat non desinit esse paterna, quae externum hominem vulnerat ut internum sanet, terrenis exspoliat ut ad caelestia perducat, humanis nos opprobriis satiat ut aeterna gloria dignos efficiat ! Cui benignae Dei salvatoris nostri voluntati cum responderimus, *propter correptionem modicum iratus iterum reconciliabitur servis suis.* Novit enim figmentum nostrum, neque profecto ignorat, dum nostrae fragilitatis vitio in multis deficimus, suo tamen dono sincerum in nobis ipsi obsequendi perdurare studium, nec ita nos pondere mortalitatis nostrae deprimi, ut non ad ipsum mentem elevare, ipsum desiderare, ipsi toto corde adhaerere, ipsius sanctum nomen magnificare usque cupiamus et conemur. Haec sane cogitatio consolari et supra miserias nostras elevare nos debet. Etenim nonne haec est potissima ratio, propter quam qui ex adverso est implacabili nos odio insectetur ? Cur enim huius saeculi perversi filii, qui Christi iugum excusserunt, nos persequi, premere, vexare, affligere non cessant, nisi quod animas, quas perdere ipsi allaborant,

1. Ioan. 1, 9. et excitat ad meliora.

2. Mach. 7, 33.

Mundus in nobis Christum persequitur.

a vitiis avocare, quod errores, quos ipsi fovent et spargere non cessant, exstirpare, quod Ecclesiae iura, quae ipsi oppugnant, defendere ex instituti nostri lege studemus? Religionis igitur sanctae, veritatis et honestatis odium est illud, quo mundus in nos et nostra omnia commovetur. Quapropter nobis quoque, qui talia propter Iesu nomen patimur, solacio sint oportet, quae antequam inimicorum se furori permitteret, divinus noster redemptor, ut Apostolos suos confirmaret, locutus est: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit: Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Memento sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sent, et vos persequentur: si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt. Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum.* Quam diu igitur Christi Iesu nomen, quam diu Dei honor et gloria, quam diu sanctissimae eius legis propagatio cordi nobis fuerit, sortis eiusdem, quam divinus magister subire voluit, participes etiam nos erimus. *Haec omnia facient vobis*, inquit salvator, *propter nomen meum.* Quod si fieri umquam posset, ut Christi et sanctae Ecclesiae causam desereremus, mundi sectatores nos odisse cessarent; iam vero quia in maligno positus est mundus, et Iesum prius odio habuit, ideo odit et eos qui eius servitio addicti sunt. Neque *nobis colluctatio* tantum- Ioan. 15,18-21. Eph. 6, 12.

modo *est adversus carnem et sanguinem* : *sed adversus principes* (etiam) *et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus.* Qui quidem spiritus maligni numquam quiescunt, et modo insidiis occultis, modo vi et proelio manifesto in omnibus qui Christo adhaerent, piae voluntatis propositum infestant ; eos vero qui pro Christi gloria decertant, sive per se, sive per asseclas suos numquam non exquisitis modis divexant. Tametsi igitur Deus inscrutabili providentiae consilio, ut suos vel corrigat disciplina, vel exerceat patientia, liberiorem hanc nocendi potestatem et saepe alias, et nunc maxime mundo eiusque principi permiserit ; excitamento tamen ad constantiam et solacio nobis esse debet, propter iustitiam nos ab hominibus vexari, et propter Christum inferorum potestatibus esse odiosos. Immo vero nos quoque, dummodo constantes fuerimus, effatum illud divinum attingit et solacio replere debet: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam* : *quoniam ipsorum est regnum caelorum.Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Quid, quaeso, iucundius, quid ad consolandum efficacius quam haec divinae promissionis testimonia? Nonne haec sunt verba, quae sanctos Apostolos et gloriosos Christi Martyres aliosque viros sanctos et tot fi-

Beatitudo eorum, qui pro Christo patiuntur.

Matth. 5, 10-12

deles Dei servos, qui ante nos in hac Societate Domino serviebant, spiritu illo inflammarunt, quo nihil in hoc mundo ardentius expeterent, quam pro Christi nomine despici, pati, mori, atque inter ipsa ludibria et tormenta cum Apostolo laetantes exclamarent : *Mihi autem absit gloriari,* Galat. 6, 14. *nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus,* id est despectus *est, et ego mundo.* Ad hanc crucis gloriam sanctus quidem Leo cunctos qui Christi nomine recensentur aspirare iubet : *Ibi se,* inquiens, *constituat Christianus,quo eum secum sustulit Christus, et ad id dirigat omnem viam suam, ubi scit humanam salvatam esse naturam.* Atque eorum qui cum Christo confixi sunt cruci beatissimam sortem, per hoc beatus doctor demonstrat, quod non modo ipsi cum Christo, sed Christus in ipsis patiatur. Sic enim prosequitur : *Passio Domini usque ad finem producitur mundi, et sicut in Sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, et in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur, ita in omnibus qui pro iustitia adversa tolerent ipse compatitur.* De Pass. Domini Serm. 19. n. 5.

5. Quamvis autem hereditas illa incorruptibilis et incontaminata, quam secum unigenitus Dei Filius nobis communem esse voluit, in caelis conservetur, benignus tamen Dominus imbecillitatis nostrae commiserans, durante etiam huius vitae certamine, suis non tam militibus quam commilitonibus, ineffabilis sui erga eos amoris pignora largiri consuevit. Ut enim nihil dicam Deus suos miro modo solatur et protegit.

de pace Christi quae exsuperat omnem sensum, de laetitia inenarrabili qua in mediis aerumnis eius servi persaepe exsultant ; eum in modum de iis disponit, rerumque humanarum eventus dirigit, ut multiplici quidem molestiarum genere exerceantur, non tamen sive humana violentia, sive fraude diabolica impediantur quominus ad eius gloriam in hominum salutem fructuose incumbant. Quod equidem, Societatem hanc nostram per orbem dispersam tamquam e loco editiore circumspectans, saepe sum cum admiratione contemplatus. Quotiens enim socii una e regione sunt exturbati, in aliis pluribus postulantur, in easque vix adventantes potentem Dei gratiam suis conatibus opitulantem, atque impedimenta omnia divinae gloriae propagandae submoventem experiuntur. Quae sane fuit inde ab Ecclesiae primordiis divinae providentiae ratio, ut per occasionem proscriptionum et cladium Christi nomen ex una in alias regiones conveheretur, eiusque regni fines latius in dies producerentur. Diligit ergo nos Deus amore simili ei quo sponsam suam Ecclesiam a principio complexus fovere ac prosequi numquam destitit. At amore nos diligit paterno, cuius est ita demulcere filios, ut identidem blandimentis amoris severitatem admisceat. Deprimit proinde nos, ne superbia elati in nobis gloriemur, quod non expedit nobis ; idemque rursus non erigit, ut in ipso gloriemur qui egenum de pulvere suscitat.

Vos hic testes appello, Patres Fratresque carissimi, qui prae ceteris tribulationem ab hoc mundo passi estis : an non saepenumero experti sumus eximiam in nos Dei benignitatem ac providentiam mirabilem, quae nos de manu omnium qai oderunt nos, ipsorum interdum adversariorum opera, sospites eripuit et ab omni periculo salvavit ? Quid igitur est, quod nobis a bonitate divina non polliceamur, aut quid inter casus et discrimina in quibus versamur trepidemus ? Nonne et nos cum Apostolo exclamare possumus : *Si Deus pro nobis, quis contra nos ?* Sane, Patres Fratresque in Christo carissimi, si umquam alias, nunc maxime velim sua quisque faciat magni Xaverii sensa, qualia is litteris ex India datis consignavit : *cum Deus D. N. in manu ac dicione sua teneat universa, a nullo inimicorum timeo quicquam. Deum ipsum metuo solum, ne ob meam in eius obsequio neglegentiam, quodque ineptus inutilisque mea culpa sim, in regno ac nomine Iesu Christi Filii eius inter gentes quae ipsum non norunt proferendo, iuste castigandum decernat. Extra hunc omnes illos alios metus, pericula, labores, quae tam formidolose amici certatim intentant mei, nihili facio, et securus rideo. Unus in me Dei timor cunctos rerum creatarum metus exstinguit, quippe quas nocere nemini scio posse nisi cui et quatenus conditor ipsarum incommodare permiserit.* Haec igitur sunt animi sensa, quibus Indiarum apostolus inter quaevis rerum discrimina celsus et erectus per-

Rom. 8. 31.

Nil timendum praeter Deum.

stabat ; hi spiritus illi, quibus pro regno Christi grandia operabatur ; et ne tantorum patrum filii degeneres inveniamur, similia in nobis fide viva, abnegatione perfecta et oratione constante excitemus et foveamus necesse est.

Patiendum amore Christi.

6. Atque hanc, Patres Fratresque in Christo dilectissimi, saepe ac serio in animo consideremus, satis non esse per adversam fortunam praeclaram nos nancisci copiam et occasionem in Dei obsequio proficiendi, nisi hanc ipsam et avide amplectamur, et fortiter et perseveranter ea utamur. Quod enim magnus ille Ecclesiae Doctor, cuius verba iam superius attuli, de vita christiana universe proloquitur, id in hanc quoque nostram condicionem praecipue transferendum est. *Non enim*, inquit, *dormientibus provenit regnum caelorum, nec otio desidiaque torpentibus beatitudo aeternitatis ingeritur : sed illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est.* Quod si quis in hac via, per ipsa quae sustinemus adversa, constitutus esse sibi videatur : etiam atque etiam quaeso dispiciat, utrum sicut externus homo aliquam patientis Domini similitudinem referat, ita mens quoque intima in caelestis hominis imaginem transierit. Nam tunc denique per viam vere regiam, quae Christus est, incedimus, si crucem nostram eodem animi sensu ferimus, quem in Christo Iesu contemplamur : qui quidem cum in forma Dei esset, ut se exinaniret, formam servi accepit, et in ipsa servi forma

S. Leo de Epiph. Serm. 5. n. 5.

humiliavit semet ipsum factus oboediens usque ad mortem. Quapropter ut ducem et regem caelestem, per hos militiae nostrae labores et ipsam mortem ad regnum beatum sequamur, haec prima et maxima cura esto, ut verae humilitatis sensus universa animi viscera omnesque cordis affectus occupent atque penetrent. *Tota enim*, ut cum eodem S. Leone prosequar : *Tota victoria Salvatoris, quae et diabolum superavit et mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta. Dispositos dies sub persecutione inchoavit, et sub persecutione finivit, nec puero tolerantia passionis, nec passuro defuit mansuetudo puerilis : quia Unigenitus Dei sub una maiestatis suae inclinatione suscepit, ut et homo vellet nasci et ab hominibus posset occidi. Si igitur omnipotens Deus causam nostram nimis malam humilitatis privilegio bonam fecit, et ideo destruxit mortem et mortis auctorem, quia omnia quae persecutores intulere non renuit, sed oboediens patri crudelitates saevientium mitissima lenitate toleravit ; quantum nos humiles, quantum oportet esse patientes, qui si in aliquid laboris incidimus, numquam nisi nostro merito sustinemus ? Quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato ?... Unde tota, dilectissimi, christianae sapientiae disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis et gloriae, sed in vera et voluntaria humilitate consistit : quam Dominus Iesus Christus ab utero Matris usque*

Imitanda Christi patientis humilitas.

De Epiph. Serm. 7, n. 2 et 3

Prov. 20, 9.

ad supplicium crucis pro omni fortitudine et elegit et docuit. Huic igitur tam necessariae et tam salutari humilitatis virtuti si ex animo studuerimus, id ipsum a nobis praestabitur quod in his malis permittendis divinam circa nos providentiam spectare ac velle dubitare non possumus. Quorsum enim quibusdam in locis nostrum ordinem adeo deprimi, nostrumque nomen sperni ac vituperari Deus sinit, nisi ut intellegamus, multo cariorem hostiam ipsi esse animum christiana humilitate submissum, quam illustria quaelibet sine humilitate opera ? Ut igitur hanc Deo tam gratam hostiam immolemus, Christique bonus odor adversitatum perpessione reddamur, modeste et demisse admodum de nobis ipsi sentiamus et de nobis loquamur, ab omni specie fastus et tumoris alienissimi ; humiliora ministeria ne refugiamus, quin etiam studiose quaeramus et avide amplectamur ; neque vano tumore elati, quod scilicet Societatis quae tot praeclaros viros genuit membra simus, aliis nos praeferamus, sed tot adversitatibus pressi, iuxta Apostoli monitum, *humiliemus nos sub potenti manu Dei*, agnoscentes imperfectum nostrum, ac neminem prorsus nisi se ipsum quisque contemnamus, memores nihil in nobis nostri esse, nisi quod omni ex parte a bono deficimus. Et sane non aliam ob causam beatus parens noster Ignatius minimam dici hanc Societatem voluit, nisi ut humilitatem, quae virtutum omnium quasi

Deus vult ut humiles esse discamus.

1. Petr. 5, 6.

Humilitatem Ignatius maxime commendat.

solum et fundamentum est, universi et singuli huiusce Societatis homines impensissime coleremus. Quod si idem S. Pater exercendae humilitatis opportunitates ardenter nos exoptare, et quoad liceat sollicite quaerere voluit, haud aliter atque mundani homines honores et magni nominis famam aucupantur : quid, quaeso, de occasione sentiendum nobis erit, quae hisce maxime temporibus per inscrutabilem Dei dispensationem nobis offertur ? Per adversitates humiliat nos Deus, ut vel inviti humiles esse discamus. Et si vere Christum sequi eiusque Societatis membra esse volumus, totis animi viribus opportunitatem oblatam amplecti, atque nobis ipsi gratulari debemus, datum aliquando esse quod exoptare saepe dicebamus, ut scilicet Christum Iesum spretum et illusum spreti et illusi sequeremur, et pro eius amore ac reverentia eadem qua ipse veste atque insignibus indueremur.

Etiam in modo patiendi humilitatem ostendere debemus.

7. Quoniam vero, ut initio dicebam, dubitandum non est, utut iniqua sit vexatio quam ab hominibus patimur, nullam tamen esse acerbitatem, qua vitae nostrae defectus et culpae a divina Iustitia non mereantur puniri ; eadem illa animi demissio efficere debet, ut hoc ipsum non dissimulemus, sed manu pectori admota elatisque in caelum oculis, corde contrito et humiliato pensemus an in nos quoque non cadat severa monitio, qua olim in simili condicione clerum suum excitabat beatus martyr Cyprianus, scribens : *Intelle-*

Ep. 8. ad clerum.

gamus et confiteamur, pressurae istius tam turbidam vastitatem, quae gregem nostrum maxima ex parte depopulata est... secundum peccata nostra venisse, dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad salutem caelestia mandata servamus. Atque haec sane altera cura est, qua pro spirituali nostro profectu inter aspera haec et turbulenta tempora vigilare debemus, ut scilicet quicquid in nobis Deo displiceat, plenius noscamus, verius plangamus, diligentius emendemus. Quocirca in sese quisque descendens conscientiae latebras omnes exploret, et vitam suam universam cum propria instituti nostri ratione conferat. Haec scilicet forma est ad quam nos fingi oportet, haec significata nobis divinae voluntatis norma et lex, qua aliquando a Deo ipso iudicabimur. Ac ne singula exsequar, attenta in primis et humili cogitatione scrutemur, qua fide et diligentia grande illud debitum, quod paupertatis, castitatis et oboedientiae votis contraximus, solvamus : hoc enim debitum Deo reddere gravissimum nostrorum officiorum, hoc plene et perfecte reddere summa nostrae sanctitatis est. Quoniam autem haec sacri nostri debiti solutio nec plena. nec perfecta esse potest sine illo sancti amoris spiritu, quo B. Pater nos in vita universa moveri, agi et in omnium constitutionum observantia duci voluit : diligentissime consideremus, num lex illa quam Spiritus S. cordibus imprimere solet, in nobis vigeat et operetur, an forte aliquid de noxio saeculi, in quo

In humilitate vita examinanda est.

vivimus, spiritu haurientes, caelesti illa cura defici coeperimus. Unde sua quisque intima pertentans secum attente reputet : quibus maxime rebus moveatur ; quo mentis affectu ad ea quae Dei cultum respiciunt se conferat ; qua intentione officiis sive domesticis sive publicis fungatur, cum nostris et externis conversetur et agat. Et hoc quidem, quod postremo dixi, praecipua consideratione dignum est. Cum enim multis se divina caritas effectibus prodat, nullo tamen alio certius cognoscitur, quam amore erga homines fraterno. In illa igitur nostri ipsorum exploratione ad hoc animum intentius advertamus, utrum nostra cum aliis vivendi agendique ratio a sincera caritate, an potius a naturali affectione vel habitu procedat. Et hic, Patres reverendi et Fratres in Christo dilectissimi, mecum quaeso contemplemini eximiam, quam Dei numine disponente nacti sumus, occasionem huius sanctae caritatis virtutem exercendi et exercitatione ipsa proficiendi. Permagnum enim sociorum numerum suis e provinciis eiectum aliae benigne atque liberaliter receperunt, pro quo quidem hac epistola iis earumque in primis praepositis ac superioribus omnibus, universae Societatis nomine, gratias quas possum amplissimas persolvo. Neque ullatenus dubito quin superiorum suorum exempla socii singuli secuti, profugos et exsules ceu dilectos in Christo fratres amplexi sint, atque hi vicissim tantae benevolentiae amori quem experiebantur,

Caritas erga dispersos.

omni qua poterant grati animi significatione, ut par erat, respondisse. Verum quod, dum rerum ipsarum insolita condicio nos excitat, haud difficulter praestamus; id in longius tempus, naturali animi commotione defervescente, servare arduum saepe et molestum evadit. Ac sane si, ubicumque plures simul vivunt, ipsa corporis animique vitia, quibus in hac vita carere omnino non possumus, pacis serenitatem turbare pronum est, cum ad haec ingenii morumque discrepantia quae inter varias nationes exsistere solet, accesserit, fieri vix potest quin sibi invicem multis in rebus molestiam creent. Inter haec vero, quid est quod sancta a nobis postulat caritas, nisi ut qui ex aliena provincia advenerunt, hominum quibuscum vivunt, locorumque genio se paululum accommodent, et qui eos ut dilectos in Christo fratres receperunt, non nimium ab iis requirant; et ut, monente Apostolo, *alter alterius onera portantes*, omnes adimpleamus legem Christi, legem illam cuius plenitudo dilectio est. Quam diu haec vasa carnis ferimus, haud dubie in vicem facimus angustias: *sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia caritatis*... — Haec autem erga proximum caritas, quae Dei amore gignitur et nutritur, latius etiam patet, neque ad sacrae nostrae vocationis socios solummodo, sed ad omne genus hominum extenditur; eo quod omnes ad Dei imaginem conditi et ad Dei faciem intuendam vocati sunt. Quapropter in homine, qui secun-

Dispersorum officium.

Galat. 6, 2.

S. Aug. Serm. 69 de verb. Evang. Matth. 11.

dum imaginem Iesu Christi renovatus est, testante Apostolo, *non est Gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus.* Itaque si ad eam Societatem vocati, cuius finis est divina gratia opitulante in salutem et perfectionem proximorum incumbere, prompti semper et expediti cuncti esse debemus diversa loca peragrare, et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi maius Dei obsequium et animarum auxilium speratur; quanto magis ii, qui e patria ingrata eiecti, Deo disponente, apud alios populos hospitaliter suscepti sunt, omnibus quibus possunt modis sese impendere debebunt, ut pro terrenis quae acceperunt, caelestia dona rependant. Neque certe aliter divini numinis consilio respondebunt. Atque hoc ipsum Scriptura de primaeva Ecclesia narrans, innuere nobis videtur: Cum enim, inquit, *persecutio magna in Ecclesia, quae erat Ierosolymis, facta esset, omnes dispersi sunt per regiones Iudaeae et Samariae praeter Apostolos.* Et *Saulus* quidem porro *devastabat Ecclesiam, trahens viros ac mulieres in custodiam: illi autem, qui dispersi erant, pertransibant evangelizantes verbum Dei*: atque ipsa dispersionis occasione utebantur, ut Iesu nomen latius propagarent et viam salutis aeternae omnibus ostenderent. Quam triste igitur et ab hoc spiritu quo totum Societatis corpus animari debet, alienum foret, si qui vel patriae desiderio, vel peregrini victus molestia, vel alia qualibet difficultate victi ad

Zelus animarum.

Col. 3. 11

Act. 8, 1-4

sacrae nostrae vocationis labores vel segniter se conferrent, vel ab iis segnes refugerent! Quid vero, quid dicendum esset de iis, qui animarum messe alba in exteras regiones invitante et vocante, nec nostro iussu, nec ulla cogente necessitate, in patria desides haererent?

Patriae amor inordinatus quam nocivus.

8. At quoniam inordinati patriae amoris mentionem inieci, nonne divina dispositio, hanc Societatis vexationem permittens, id quoque spectare credenda est, ut novo experimento discamus non habere nos hic manentem civitatem, et idcirco futuram eo ardentius inquiramus, et a perituris rebus omnibus *liberos cordis oculos*, ut loquitur S. Leo, *ad illam altitudinem, in qua Christus est, erigamus! Sursum* igitur *vocatos animos desideria terrena non deprimant, ad aeterna praeelectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebrae non retardent: et ita a fidelibus* (et potiore iure a religiosis) *haec temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiamsi quaedam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. Ad hanc enim nos devotionem beatissimus Apostolus Petrus incitat, et obsecrans dicit: Carissimi, obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam.* Quae est autem haec abstinentia, haec spiritualis pugna adversus saeculi blandimenta, nisi illa interna externaque abnegatio, et continua in rebus omnibus mortificatio, quam

De Ascens. Serm. 2. 5.

1. Petr. 2, 11.

Victoria sui necessaria.

S. Ignatius studium maius et impensius cuiusque nostrum in Domino esse voluit? Et siquidem ea quae carnis aut saeculi huius nomine veniunt, vel mala sunt, vel periculosa, vel vana, persuadeamus nobis oportet, vitari mala non posse nisi a periculosis caveamus, neque haec effugi nisi vana quaeque respuamus. Quin etiam pro certo habendum est, aegre nos ab iis quae culpa non vacant esse temperaturos, nisi convenientia quoque bona quibus carere possumus, nobismet ipsi identidem negemus. Qua in re nec multo labore neque difficili inquisitione opus est, ut eius exercitationis idoneas occasiones nanciscamur. Occurrunt enim per se ipsae, Patres Fratresque carissimi, in cotidiana munerum nostrorum functione, adsunt nobis intra domesticos parietes, nullo denique in loco aut tempore desunt, et in nostra hac calamitosa condicione plus quam alias abundant. Etsi vero nemo sit qui nesciat sic esse hominem natura comparatum, ut abnegationis huius difficultate non parum soleat terreri; qui tamen a minimis exorsus pugnis et victoriis, fortiter in acie per Dei gratiam constanterque perstiterit, is profecto experietur sub horrida illa mortificationis specie voluptatem latere purissimam, manna scilicet absconditum, quod vincenti se daturum Christus Dominus pollicitus est. Et profecto, quisquis hac salvatoris promissione subnixus nobilissimum illud pugnandi et vincendi genus expertus fuerit, bellum eiusmodi laboriosa

Solacia victoriae sui.

et falsa quiete, quam ignavia parit, longe praestantius atque optabilius esse lubens profitebitur. Quam ob rem si Deo placere atque obsequi impensius cupimus, luctuoso hoc tempore, tamquam monitore divinitus misso utamur, qui praesentis tribulationis exsiliique cogitatione ac futurae in caelis civitatis memoria ad generosum certamen nos provocet. Ita fiet, ut sublatis quae Deo in nobis displicebant causis, semotisque quae nos inter et Deum sese interponebant impedimentis, libere et confidenter ad illum accedere, magisque in dies caelesti eius lumine perfundi, et amore divino accendi mereamur, atque ita demum id consequamur, quod in praesenti hac malorum dispensatione Deus optimus maximus velle sibi atque a nobis postulare censendus est.

Necessitas orationis.

9. Semitam qua nobis in praesenti rerum perturbatione divinae providentiae ductu incedendum est, et vobis et mihi ipse ob oculos posui, Patres et Fratres carissimi ; superest ut praecipuum vobis indicem adiumentum, per quod illam ingressi ad finem divinitus praestitutum feliciter perveniamus. Est autem hoc ipsum, quod Christus Dominus ac Redemptor noster suis discipulis tantopere commendavit, inquiens : *Oportet semper orare et non deficere* ; quodque ingruentibus periculis adversariique tentationibus eo diligentius praestari iussit his verbis : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.*

Luc. 18. 1.

Marc. 14, 38.

Pericula quae imminent.

Quot autem et quantas vigilandi et orandi

causas in hisce rerum angustiis habeamus, nemo sane est qui non sentiat. Sanctissimae Ecclesiae hostes coniunctis viribus non iam latenter aut privatim, sed aperte et propalam, et impudentia saeculis anteactis vix audita, in destructionem religionis et animarum perniciem incumbunt. Neque in hunc finem satis habent consuetas suas nocendi artes adhibere, nisi praeterea oppositos bonorum conatus omni ope atque opera intercipiant, et, si possibile foret, ad nihilum redigant, quo expeditiores ipsi ad nocendum exsistant. Quanta inde labes tum omnibus generatim fidelibus, tum praesertim catholicae iuventuti illata iam fuerit, quantoque deterior, nisi clementissimus Deus averterit, porro impendeat, novimus omnes et ingemiscimus. Et quod in hac acerba condicione magis angere nos debet, illud est, in plerisque locis minime licere nobis tantae animarum perniciei per salutaria nostri ordinis ministeria vel occurrere, vel mederi. Quis igitur, cum possit, fusis ad Deum precibus non iis succurrat, quos Iesu Christi sanguine redemptos novit, quosque aliter ab interitu vindicare et ad salutem iuvare non potest? Precationis vim atque usum neque carcer, neque exsilium, neque gladius, neque aliud quicquam intercipere potest, vel impedire. Quin adeo quo minor nobis nostrique instituti ministeriis atque sacris industriis est relicta libertas, eo demissius ac fidentius caelestem petere ac impetrare opem possumus et

debemus. Ne omittamus igitur, Patres Fratresque carissimi, *instare orationibus* Deumque precari pro salute omnium, praesertim vero eorum qui maiori expositi sunt periculo, et quibus aliter subvenire prohibemur. Sed quid ego aliena solum-
Vigilandum. modo pericula commemoro, ut precandi necessitatem ostendam, cum tempora volvantur non minus ecclesiasticis et religiosis hominibus, quam
Luc. 22, 31. ceteris, periculosa? *Ecce Satan expetivit vos, ut cribraret sicut triticum!* Et Dominus iusto suo iudicio ei ad horam hanc potestatem concessit, ut purget aream suam et paleam a tritico segreget.
1. Cor. 10, 12. *Qui se existimat stare, videat ne cadat!* Vigilemus
1. Petr. 5, 8. ergo iuxta mandatum Salvatoris, *quia adversarius vester diabolus circuit quaerens quem devoret:* vigilemus, inquam, et oremus Deum, ut servet nos in nomine Filii sui, et quos in Societatem eius ascivit, hos vinci ab inimicis ac perdi non sinat. Rogemus Deum ut Ecclesiam universam ab hostium aggressione atque insidiis tandem liberatam velit. Quod autem Christus Iesus exemplo et exhortatione sua tantopere commendavit, id quaeso agere ne omittamus, rogantes Deum pro ipsis inimicis nostris, ut eos convertat et in viam salutis reducat. Id porro dum facimus, rem nostram potius quam alienam agimus; non idcirco solummodo, quod nobilissimum illud caritatis genus magni apud Deum sit meriti; verum etiam, quod impetrata per Ecclesiae preces improborum ad meliorem frugem conversio, ad fidelium

omnium vergat salutem. *Cum enim hoc facit Ecclesia,* inquit S. Aug., *prope finiti sunt persecutores: exaudita est enim cum hoc faceret, et exauditur cum hoc facit. Praevalebant malo suo, finiti sunt bono suo.* Enarr. Ps. 98.

Iam nunc non modo semitam, qua ad metam nobis divinitus praestitutam tendendum est, sed et gloriae campum ostendi vobis et praecipuum armorum genus, quo dimicandum est ut victoriam ab hostibus recuperemus. *De cetero, Fratres,* verbis Apostoli vos alloquor, *confortamini in Domino,et in potentia virtutis eius.. Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam iustitiae, et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere; et galeam salutis assumite, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei.* Et uti S. Cyprianus ad sui temporis Martyres et Confessores scribebat, ita et vos, Patres et Fratres carissimi, eiusdem verbis ad constantiam et in Deo fiduciam provoco atque exhortor: *Militate forliter,dimicate constanter, scientes vos sub oculis praesentis Domini dimicare, confessione nominis eius ad ipsius gloriam pervenire, qui non sic est ut servos suos tantum spectet, sed et ipse luctatur in nobis,ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri et coronat pariter et coronatur.* Magno animo pro Deo agendum. Eph. 6, 10.etc. Ep. 8. ad Mart. et Conf.

Unum adhuc rogo, reverendi Patres et Fratres

in Christo carissimi, ut in sanctis sacrificiis et orationibus vestris me Domino commendetis,

Romae, XII Martii M. D. CCC. LXIV.

Vestrum omnium servum in Christo
PETRUM BECKX.

EPISTOLA

R. P. N. PETRI BECKX

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE FRUCTU E BB. P. CANISII ET I. BERCHMANS EXEMPLIS COLLIGENDO

Calamitatibus ne deiciamur.

1. Multis iam pridem ac magnis calamitatibus, reverendi Patres Fratresque carissimi, hanc nostram Societatem Iesu, quae vita nobis carior est, Deo disponente exerceri, multis item ac variis, licet non iisdem ubique, periculis et difficultatibus esse obnoxiam, adeo vobis partim luctuoso experimento partim fama et sermonibus notum est, ut animorum vestrorum dolor potius aliquo solamine leniri, quam refricatione vulnerum exacerbari poscat. Est autem illud in primis solidum ac religiosis mentibus proprium consolationis

genus, quod non e fallacibus coniecturis, sed ex inconcussis fidei regulis petitur ; quibus hinc quidem monemur, *diligentibus Deum omnia coope-* Rom. 8, 28.
rari in bonum, adeoque *omnem sollicitudinem* nostram *proiciendam esse in eum, quoniam illi cura* 1. Pet. 5. 7.
est de nobis ; inde vero in spem erigimur fore ut *momentaneum et leve tribulationis nostrae*, tametsi 2. Cor. 4, 17.
grave interim et diuturnum videatur, *supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operetur in nobis*. Novit enim de quibuslibet malis bona eruere qui summe bonus est : nec mirum videri debet, si per multas et varias tribulationes traducere velit, quos non auro et argento, sed diris cruciatibus et ignominiis ac morte acerbissima unigeniti sui redemit, ut si ad horam compatimur, cito commutatis vicibus aeternum etiam conglorificemur.

2. Quae si calamitosis temporibus omnium fide- in sancta nostra vocatione
lium mentibus alte insculpi debent, multo magis ea nos dies noctesque meditari oportet, quos Deus, praeter communia beneficia, illo ineffabiliter magno vocationis dono sibi devinxit, inseruitque in consortium Filii sui, ut ipsius nomine insigniti, eius quoque passioni largius communicemus, contempti, vexati, expulsi, de communi civium ac hominum iure deiecti, non aliam ob causam, nisi quod e Societate Iesu nominamur et sumus. Atque haec consolatio tanti est, reverendi Patres et Fratres carissimi, ut qui eam intime degustaverit, alias praeterea non sit quaesiturus. Nam et ipse salvator : *Beati eritis*, inquit, *cum vos ode-* Luc. 6, 22, 23.

rint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint et eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis ; gaudete in illa die et exsultate. Verum quia ad hoc solacii genus intime degustandum non nisi post seriam ac diuturnam amoris proprii abnegationem, quae ad ardentem Christi amorem unica via est, pervenitur ; Dominus ac pater vere misericors, interim dum corripit filios quos diligit, dumque palmites fructum ferentes purgat ut fructum plus afferant, etiam infirmitatis nostrae memor variis illam adminiculis identidem fulcit et laeta tristibus interponit, ut spiritu roborati et spe gaudentes quae eo disponente nobis obveniunt sustinere possimus.

plurimum valet recens glorificatio BB. Petri et Ioannis,

3. Neque enim desunt inter praesentes quoque amaritudines successus, qui maerorem temperent : atque ut alia praetermittam, quae commemorare huius loci non est, peroptata beatorum nostrorum Petri Canisii et Ioannis Berchmans glorificatio, quae in *hunc annum* divino consilio incidit, ad universam Societatem duplicata laetitia recreandam valuit sane plurimum. Nam praeter communes gaudiorum causas, quae in omnibus huiusmodi sollemnitatibus aeque se produnt, in his duobus Societatis filiis simul iunctis illud est proprium, quod tota prope instituti nostri ratio, tum quae ad domesticam disciplinam inter assiduos studiorum labores, tum quae ad apostolicam vivendi formam in cunctis ministeriis, tum quae ad sollicitam gubernandi curam in magna tem-

porum iniquitate pertinet, adeo vivis coloribus depicta cernitur, ut quicquid in constitutionibus nostris faciendum praecipitur, in horum duorum vita egregie factum intueri possimus. Quam ob rem illorum ad Beatorum caelitum honores evectio iure nobis hoc etiam nomine iucundior accidit, quod Societatem ipsam nova gloria, his praesertim temporibus magni sane facienda, illustravit ; singulos vero Societatis filios ad partem oneris sibi commissam strenue perferendam propositis exemplis lacessivit, additisque patronis roboravit.

Beatificatio haec est defensio Societatis,

4. Nostis enim quo ferme praetextu odium in nos suum honestare nitantur, qui Societatem suis e regionibus arcent, eamve in illis iam constitutam vexant, exturbant, domibus ac bonis spoliant, in exsilium pellunt, et nullius criminis ream condicione longe deteriore quam quoslibet facinorosos habent ; idque non solum concitatae plebis vesano impetu, sed e composito et praemeditato consilio, immo et publicae utilitatis titulo agunt. Aiunt nimirum, se non homines e Societate singillatim spectatos persequi, quibus ut plurimum nihil vitio vertunt, quin etiam doctrinae ac probitatis laudem non denegant ; sed ipsam proprie Societatem, tamquam suapte natura humano consortio incommodam, et progredienti, quam vocant, populorum civilitati et libertati hostilem, oderunt ac detestantur. Quam diram calumniam licet hominibus rerum nostrarum gnaris persuadere nullo

modo possint, tamen non desunt qui debilitate iudicii rumoribus libenter servientes, quique partim ignoratione vitae nostrae, partim ob praeiudicatas opiniones a nobis alieni, eam non invitis auribus excipiant, et iniurias Societati illatas, si modo ab individuis saevities arceatur, ne iniurias quidem existiment ; vel eas cursui rerum publicarum et temporibus facile condonent. Opportuno igitur Dei providentis consilio factum videtur, ut ad aliquod afflictae Societatis solacium, quo potissimum tempore haec percrebrescunt, duo eiusdem Societatis nobilissimi filii, in quibus germana totius instituti indoles coruscat, e domesticis latebris in lucem publicae cognitionis, Pio IX Pontifice Maximo decernente, divinitus evocarentur. Est enim duplex hoc Vaticani decretum veluti contra iniquos Societatis osores et calumniatores prolata e caelo pro Societate sententia. Siquidem hi, quos Deus nunc in tantum christianae gloriae culmen extulit, non alium profecto vitae cursum, quam quem Societas hodie quoque servat et suis omnibus servandum praecipit, tenuerunt ; adeo ut spiritus, quo integrum Societatis corpus animatur et vivit, displicere non possit, nisi cui prius vel apostolica beati Petri vita vel innocentissimi beati Ioannis mores displicuerint. Quamvis enim utriusque sanctitas inter aequales singulariter eminuerit, id neuter a communi Societatis semita ad singularem deflectendo, sed ambo in ea ceteris antecellendo adepti sunt.

contra modernos adversarios

5. Quapropter civilitas illa, quam cum Societatis instituto conciliari non posse praetendunt, haud alia profecto est (si nominibus abuti licet) praeter eam quae animos iuvenum pie innocenterque in Dei timore institutos horrescit, doctrinam catholiae Ecclesiae verbo et scriptis constanter propugnatam metuit, oboedientiam Apostolicae Sedi ex animo addictam odit, fidem ac religionem animis populorum insertam et christiano cultu roboratam formidat : haec enim omnia sunt quae Societas semper et ubique, divino auxilio fulta, professa est et constanter profitetur et provehit. Scio equidem homines obfirmatae contra nos voluntatis nullis argumentis, quantumvis perspicuis, de sententia posse deduci ; sed non ideo minus grati Deo esse debemus, quod Societatis patrocinium in hac temporum iniquitate susceperit ; praesertim quod, sicut quae contra nos a malevolis confinguntur, aliquid semper maculae aspergunt, ita quae in laudem Societatis Deo propitio contingunt, sperandum est, apud eos quos Dominus novit, sua numquam utilitate caritura. **nostros et Ecclesiae.**

6. Verum, utcumque apud externos, de quibus obiter mentionem intuli, res agantur, nobis certe, reverendi Patres et Fratres carissimi, nobis, inquam, haec beatorum nostrorum recens glorificatio non solum iucundissima sit oportet, sed etiam perutilis erit, si eam non fortuito in haec tempora incidisse, sed certa Dei providentia, quae **Sed maxime nobis utulis esse debet, erigens nos**

in sui dispositione non fallitur, nostrae utilitati fuisse reservatam, pia persuasione tenuerimus. Etenim, quicquid deliret mundus, nemo nostrum erit qui non exsultet gaudio, sibique gloriae ducat quod ad eam pertineat Societatem quae tales edidit fructus ; nemo qui non sentiat quam praeclare agatur secum, dum loco saecularium necessitudinum, quaecumque demum fuerint, socius ac frater Sanctorum nominatur. Hanc autem spiritualem nobilitatem quisquis probe noverit ac intime senserit, nihil sua vocatione carius habeat necesse est ; adeoque non committet, ut pretiosissimi doni cognitionem obnubilari, eiusque amorem intepescere umquam sinat.

contra spiritum saeculi muniens.

7. Ad quam sollicitudinem illud etiam arbitror pertinere, ut inter tam varias Societatis vices seduli prospiciamus, ne quid sensim in animos illius inquieti spiritus subrepat, qui miserum civilis societatis corpus tantopere iam diu, velut epidemicus morbus, exagitat, in eoque positus est ut vetera semper fastidiat, nova perpetuo cupiat, nullaque in re umquam conquiescat. Etsi enim de mundo, Deo miserante, non sumus, tamen in mundo vivimus, et saecularium opinionum aura assidue circumfundimur. Perniciosissima quae longe lateque percrebuit consuetudo, antiquas omnes institutiones sine ulla maiorum reverentia carpendi ; nihil fixum ratumque, quantumvis diuturna saeculorum experientia comprobatum, habendi ; propria cuiusque iudi-

cia de omnibus libere, nullo fere ad legitimam auctoritatem habito respectu, proferendi ; praepositos eorumque iussa impudenter carpendi et damnandi ; aliquid novum in singulos prope dies expectandi et appetendi, etiam religiosis animis aliquatenus, praesertim sub specie boni, adhaerescere, et multarum cotidie imperfectionum graviumque aliquando malorum origo exsistere potest. Quo enim illa, quam S. parens Ignatius tantopere commendat, propriae voluntatis ac iudicii abnegatio, et cum voluntate ac iudicio superiorum, velut cum divinae bonitatis ac sapientiae regula, conformatio abibit, si quicquid praescribitur aut interdicitur, pro cuiusque sensu expendatur et iudicetur, et indiscriminatim prout cuique visum fuerit laudetur aut reprehendatur ? Quo tandem deveniet animi laetitia et quae inde consequi solet in vocatione firmitas et in implendis officiis alacritas, si religiosa simplicitate deposita, et prudentiae nostrae plus aequo innixi, multa in superiorum gubernatione, multa in apostolicis ministeriis, multa in studiis, multa in collegiorum et convictuum administratione, multa in omnibus notemus, et aliter atque aliter fieri, praesentibus numquam contenti, vellemus ?

et novitates vitare docens.

8. Profecto nihil est quod a beatorum nostrorum exemplis et a nostrae vocationis indole abhorreat magis. Haec autem a me dicuntur, non solum ut pericula adhuc procul posita mature ostendam, sed etiam ut sibi prospiciant non nulli, qui aliqua saeculi contagione fortasse tacti, et zelo

non secundum germanam zeli naturam impulsi, liberius quam decet superiorum mandata disceptant, sodalium labores improbant, et intolerabili consuetudine cuncta quae fiunt carpunt, media vero ad Dei gloriam provehendam nova excogitari et induci assiduo cuperent, arbitrati instituto nostro id maxime congruere, ut fine immobiliter fixo, media novis (ut aiunt) temporibus semper aptentur. Dumque in his volutandis tempus et cogitationes terunt, quamvis interea in servandis religiosae disciplinae legibus, et in suo munere obeundo plerumque desides, spiritum tamen sancti parentis amplum et industrium imitari se putant. In quo miseri a callidis inimici illusionibus haud satis cavent ; et quam procul ab ipso sancti parentis spiritu abripiantur non animadvertunt. Duo quippe S. Ignatius hac in re a filiis observari voluit : primum, ut quod semel probatum et statutum fuerit, constanter servetur, nec nisi vera necessitate urgente immutetur ; alterum, ut in Societate non sit infinita, sed certis suis finibus circumscripta mediorum libertas, ut secundum propriam instituti nostri rationem firmiter incederemus. Multa in agro dominico ad Dei gloriam et animarum bonum fieri utiliter possunt, quae a Societate tamen suscipi non debent, propterea quod rebus aliis nostrae vocationi magis congruis impedimento forent. Quis enim ambigat, ut unico utar exemplo, spiritualem sacrarum virginum directionem rem esse magni meriti, et ad

Dei gloriam animarumque sanctificationem directe pertinere ? Attamen nemo ignorat, quam constanter illam S. Pater repulerit, et a Societatis vocatione iudicarit alienam. Huius autem generis sunt profecto et alia, de quibus iudicium subditi a moderatoribus, iuxta suavem divinae providentiae legem, humiliter exspectare debent, non vicissim. Quod nisi fiat ex animo, et in universum loquendo, nisi documenta illa, quae de oboedientiae virtute ac perfectione S. Pater Ignatius nobis accuratissime explicata reliquit, in cordibus vigeant, non modo imperfectiones multae vitari non poterunt, verum penitus actum erit de illa spirituali laetitia, quae vitae religiosae fructus suavissimus esse debet, et devotionis gratiam ac vocationis donum maxime protegit ac custodit.

Mala novitatum modernarum.

9. Utinam ergo hic primus sit fructus, quem a Beatorum nostrorum exemplis colligere cuncti studeamus ; utinam ex iis discamus, quam non modo amanter de Societate, et excelse de fine quem illa sibi propositum habet, verum etiam reverenter ac oboedienter de omnibus quae praescribuntur, unum quemque sentire et existimare oporteat ; cum hoc, non illud, sit quod perfectos ut plurimum ab imperfectis secernit. Quod non nullos aliquando movet, mutatos nimirum populorum mores novis indigere subsidiis, plus splendoris, si sapimus, quam veritatis habet. Mutatio enim, quae contigit vere luctuosissima, in eo vertitur tota, quod magnum illud pietatis

sacramentum, opus humanae redemptionis in Cruce consummatum, in quo omnes salutiferae veritates concluduntur, gliscente in dies incredulitatis viru, inter ipsos christianos horrendum in modum ab aliis ignoratur, ab aliis indifferenter habetur, ab aliis liberrima impietate blasphematur ; ut, si alias umquam, nunc maxime impleri videamus quod Princeps Apostolorum, sciens se cito migraturum e vita, praedictum fide-
2. Petr. 2. 4. libus reliquit scribens : *in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos Dominum negant.* Hinc universa exoriuntur populorum mala ; huc refluunt universa ; siquidem Christus humanae salutis auctor unicus, prout ad illum acceditur aut ab illo rece-
Luc. 2, 34. ditur, *in resurrectionem* aut *ruinam multorum positus est.* Et ideo aut redeundi ad meliora spes nulla relinquitur, aut non alibi sane quam in
Remedium contra haec mala. excitanda, quam latissime fieri potest, Christi cognitione et amore quaeri debet ; ut unde salus ab initio in universum orbem propagata est, inde
Spiritus nostrae vocationis. remedium quoque proruentibus in exitium populis exquiratur.

10. Iam vero quis nostrum edoceri adhuc indigeat, totam prorsus nostrae Societas vitam, tum intra tum extra domesticos parietes, ex instituti formula in hoc esse ac versari, ut Christi Domini cognitio et amor prius in nobis ipsis, deinde per nos in aliorum animis excitetur, in iisque radices alte defigat ? Huc enim non quomodolibet, sed

pleno totius corporis nisu cuncta conspirant. Et utinam omnes, reverendi Patres et Fratres carissimi, non dissipatis, sive per ignaviam sive per opinionum discrepantiam, viribus, sed animo concordi conatuque integro, artissimo mutuae caritatis vinculo copulari, velut cor unum et anima una Christum spirantes, in hunc divinissimum finem, per ea quae Societas nobis abunde suppeditat media, fortiter et perseveranter incumberemus, atque hoc etiam sensu Societas Iesu essemus! Quam multos enim ac solidos fructus parerent exercitia spiritualia, contiones, catecheses, sacramentorum administratio, ac piae sodalitates iuvenum praesertim ac virorum, in quibus plus momenti est; dummodo in his omnibus ministeriis unusquisque, *non* Cf. Phil. 2. 21. *quae sua sunt, sed quae Iesu Christi quaerens*, primo operam suam libentius ac promptius ibi semper collocaret, quo non molestia levior aut propensio gravior, sed animarum maior necessitas et fructus invitant. Solidum autem fructum semel ac iterim commemoravi, ne se valde proficere existiment ii qui, ut exemplis utar, sacram fortasse iconem pulchrius ornatam, festum aliquod splendidius celebratum, aliquot preces in morem piorum inductas sibi gratulantur ; nisi, quod caput est, mortifera crimina e miserorum animis evellant, pravis consuetudinibus irretitos curent, rudes in rebus ad salutem necessariis patienter instruant, incuriosos ad sacramenta alliciant et disponant, consimilia, quae in Sanctorum historiis

passim leguntur, exerceant, atque ex his ferme laborum suorum fructum aestiment ; quoniam reapse haec semper fuere ac sunt quae animas e perditionis barathro ad aeternae salutis semitam reducunt.

Bonum ex magisterio proveniens.

11. Ipsum vero litterarum scientiarumque magisterium, quod est munus in collegiis longe praecipuum, quam pulchras ac varias Christi dilectionem instillandi exhibet opportunitates, dummodo et qui docent et qui conscientias regunt, unanimi zelo id ardenter exoptent et sapienter procurent. Qua in re cavendum est, ne importune queruli ac Deo ingrati existant, qui scholas fastidiunt, perinde quasi iam diu nimis exiguum ex illis fructum videremus ; cum contra nullum fortasse ministerium his praesertim temporibus fructuosius a nobis exerceatur. Quamvis enim non desint qui magistrorum curis et exspectationi parum aut nihil respondent (quod est cunctis ministeriis commune) ; numquid tamen non oculis etiam cernimus quam multi in nostris gymnasiis pueritiam innocentissimis moribus agant, et adulescentiam instituant piam, morigeram, atque a praxis saeculi opinionibus abborrentem ? Hunc autem fructum esse omnium solidissimum optime agnoscunt ac testantur ipsimet rei christianae eversores, qui idcirco non aliam ob causam iam dirum Societati bellum indixere ; ideoque dum contiones, exercitia et libros typis editos non valde metuunt, litterariam iuventutis institutionem no-

bis ereptam modis omnibus volunt. Quam ob rem si qui sunt in Societate qui mediorum defectu operam suam torpescere conqueruntur, hos vehementer moneo et hortor, ut ipsi se in conspectu Domini severe excutiant, ac videant num vero amore et zelo promovendae gloriae Dei moveantur, aut non potius in munere sibi demandato impatientia aut levitate animi regi se patiantur.

BB. Petrus et Ioannes omnibus sunt exemplo,

12. Verum me illa, quam omnibus debeo omnibusque impendere cupio, caritas et sollicitudo impellit ut breviter per varia discurram, quo se ipsos singuli facilius mea commonitione adiuti inspiciant, et quid Deus ab illis, quid Societas postulet, certius agnoscant. Nam quod a divino laudatur Spiritu et optimae voluntatis indicium est: *Argue sapientem et diliget te : doce iustum et festinabit accipere*, id in Societatis filiis impleri scio, estque curarum mearum solamen non ultimum. Igitur, ut protinus eo me vertam, quo novum et pulcherrimum nostri Ordinis decus, B. Ioannes Berchmans, animum vocat: in primis iuvenibus cunctis, et iis praesertim qui in ardua studiorum palaestra desudant, ex animo gratulandum censeo, quod candidissimum istud lilium, in medio illorum eductum et altum, nunc tandem gloria et honore coronatum colant; quod quidem eorum corda caelesti quadam laetitia perfundere profecto debet. Nam inter beatos caelites fratrem suavissimum, qui se mira facilitate ducem ac comitem offert, sunt adepti ; speculum nacti sunt

Prov. 9, 8. 9.

B. Ioannes, exemplar Scholasticorum,

omni ex parte nitidissimum, in quo vel perleves animi naevos inspicere et cuncta religiosae vitae decora recognoscere facile possunt ; idque hoc tempore sunt consecuti, quo dirum religiosae vocationi bellum, et multiplex evangelicae perfectioni periculum intentatur.

13. Sed ut ea praetéream quae ultro oculos percellunt, nivea animi puritas, filialis Deiparae cultus, singularis in communibus excellentia, perpetua e laeto corde hilaritas vultus caelesti cum modestia copulata, caritas nemini addicta, a nemine aliena, omnibus iucundissima, quibus rebus divina adulescentis Iesu amabilitas adumbrata videtur, plurimum excitare nos debent ut animi obtutum altius erigamus, eoque intendamus unde mores tam pulchre suaviterque compositi ortum ducunt. Nimirum interior animi pax sedulo custodita hominem exteriorem ultro componit atque serenat; pacem vero in iis, qui sub oboedientia vivunt, nihil efficacius parit atque custodit, quam omnimoda propriae voluntatis ac iudicii abdicatio, et per hanc in manibus Domini imperturbata fiducia et quies. Etenim *fieri nequit*, quem ad modum S. Pater aperte nos edocet, *ut animi pace fruatur is, qui habet intra sese causam perturbationis atque tumultus, dissensionem videlicet iudicii proprii ab oboedientiae lege.* Haud equidem ignoro ad hunc tam pretiosum animi habitum alios citius et suavius, ordinatissimae indolis beneficio, tardius ac aegrius alios ac non nisi per multam

quomodo ipsis imitandus :

Epist. de virt. oboed.

recalcitranti naturae illatam vim pervenire; at aeque certum est, omnes qui ad Iesu Societatem Deo impellente se conferunt, ad hanc metam divinitus vocari et auxiliis ad id abunde sufficientibus instrui. Maximi vero interest ut hoc propriae abnegationis opus, inde a primordiis religiosae vitae, omnes generose arripiant, cum ut victorae fructum citius capiant, tum quod experimento liquet eos, qui remisse ac dimidiate coeperint, eodem plerumque modo pergere, et nisi deterius aliquid contigerit, eodem vitam claudere, annis fortasse ac maeroribus abundantem, sed ab ea perfectione, cuius amore saeculo valedixerant, irreparabili iactura longe dissitam. Quare studiorum tempus, quod tirocinio egressis multiplices statim vincendi sui occasiones obicit, de toto vitae cursu plurimum statuit; hac videlicet lege, ut qui tunc animi motus viriliter cohibuerint et obmurmuranti naturae sub lege spiritus silentium indixerint, cito facilitatem adepti, formam viri religiosi omnium oculis exhibeant et in via perfectionis suaviter progrediantur, ac sentiant quam vere Apostolus scripserit: *Omnis disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii sed maeroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae:* qui vero iudicii ac voluntatis suae partem sibi retinere voluerint, intestina lucta perpetuo conflictati numquam sibi cohaereant, ac modo laeti et alacres, modo deiecti et maerentes, cotidie experiantur quam iniquo Hebr. 12. 11.

ponderi subsit quisquis, iugo Christi sublato, sui ipsius sarcinam non deponit. Erit autem prodigio simile si, qui studia hoc modo transegerit, in melius postea, quocumque in munere fuerit, proficiat atque animi pace fruatur.

fructus huius imitationis;

14. Quam ob rem scholasticos omnes hortor, ut quantum suavissimos B. Ioannis mores diligunt, tantum perfectae sui victoriae ab initio insistant: quod eo ferventius facient, quo finem studiorum suorum in ipso religiosae vitae fine purius intuebuntur. Non enim in Societate studia sic coluntur, quem ad modum in quibusvis doctorum virorum academiis, ad humanos scientiarum progressus unice intentis; sed tamquam in evangelicae perfectionis schola, in qua omnia spiritui et virtutum exercitationi famulantur, et ubi sicut virtus sine doctrina inermis est, ita sine virtute doctrina merito contemnitur. Studiis operam damus et litteras scientiasque profitemur, non ut ab hominibus docti habeamur, sed ut idonei simus qui maiorem Dei gloriam et aeternam proximorum salutem melius et pluribus modis procuremus: et quicquid ad hunc finem non vergit, quantumvis apud homines splendeat, ab apostolica nostra vocatione alienum est. Neque existimare debemus studiorum ardorem restingui, nisi humanae laudis flabro succendatur; quoniam in religiosis cordibus multo plus divina caritas et caelestis praemii spes valent, quam humanus quilibet affectus. Ceterum ex hac intentionis puritate quam multa

profluant bona, facile percipiet quisquis in divino conspectu de re scientifica paulisper commentari voluerit : in primis vero uberior Dei lux studentium mentes desuper illustrabit, imperfectiones multae succisa radice sponte arescent, opinionum varietas vel nulla vel tam modesta et amica pacis erit, ut neque externae caritati impedimentum ullum afferat, devotio cum studiis optime componetur, et religiosa vita ex Dei amore cotidie magis dulcescet : verbo, studiorum tempus ita transigetur, ut si, quem ad modum B. Ioanni contigit, in illis sit moriendum, nequaquam importuno tempore mors advenisse videatur.

Moderatores quoque Ioannis exemplo iuvandi.

15. Verum hoc loco non solos scholasticos, sed eos quoque et vel maxime monitos volo, qui ad perfectionis studium verbo et exemplo eos excitare debent, cunctos nimirum moderatores, quibus Societas vigilantiae suae partem credidit, quique hanc a me admonitionem iure optimo repetere et exspectare videntur. His vero in praesentiarum id unum vel maxime inculcatum volo, ut eundem Beatum iterum iterumque omni ex parte contemplentur, atque ex eo discere studeant quem vitae tenorem ipsi tenere, ad quam formam institui iuniores debeant, et quam de illorum profectu curam superioribus mandet Societas ; quae, ut excelsa sua vocatione digni filii sibi succrescant, frustra optabit, nisi qui praesunt muneri suo fecerint satis. Qua de re memini me inde ab initio meae administrationis patribus congregatis in pro-

Commendatur formatio iuniorum,

vincias reversuris verba fecisse, et scholasticorum institutionem ad normam instituti exactam plurimum commendasse, haud inscium vulnerum quae huic constitutionum parti iam pridem infligebantur. Iterum postea, anno 1860 nonis Februarii, ad omnes superiores epistolam encyclicam scripsi, id ipsum verbis gravioribus iniungens ; in qua epistola professus sum me hanc rem superiorum fidei committere, et monui (ipsa namque verba referre iuverit) *ut videant, ne laboribus multis pro aliis functi, muneris sui partes neglexerint praecipuas* ; *ne etiam Apostoli severa sententia de iis qui domesticorum curam non habent, aliquo modo perstringantur*. Eadem monui in patrum procuratorum congressu, tum anno praesenti tum anno 1862 habito, et per eos superiores omnes moneri iussi. Non defuerunt superiores, quod libenter fateor, qui malo afferre remedium studuerunt. Attamen haud sine magno animi dolore coram universa Societate confiteri cogor, his tam repetitis et inculcatis adhortationibus meis nondum ubique et ab omnibus, prout optabam et quantum oportuit, esse obtemperatum ; sive quod rei gravitatem non intellegentes, obligationi suae satis consultum existiment, si aliqua rerum compositione exsecutionem praescriptorum praeferant potius quam praestent ; sive quod praesenti momento unice servientes futuro tempori non prospiciant, et rem in crastinum perpetuo differant, donec ipsa prorogandi consuetudo oblivio-

nem animis inducat; seu quod in temporanea quadam utilitate defixi, ultra tempus suae gubernationis non prospectent, quod est vitium in superioribus sane gravissimum. Nunc igitur ut meae et illorum conscientiae efficacius consulam (cuncti enim, reverendi Patres, cuncti stabimus ante tribunal Christi, rationem de his omnibus reddituri), iterum institutionem scholasticorum ad normam instituti exactam, vehementius etiam si fieri potest, commendo et iniungo, et plenam huius gravissimi officii adimpletionem sine ullis ambagibus urgeo; nec vereor ne agam severius, utpote qui probe sciam me ad id teneri, ut universae Societatis bono hac ratione prospiciatur.

Gravis obligatio iuniores formandi,

16. Videant igitur moderatores, ut tempus formando spiritui in tirocinio, et perdiscendis ex ordine litteris et scientiis in collegiis, iterumque spiritui in tertia probatione vel reparando vel perficiendo sapienter constitutum, nec temere imminuatur, nec dilationibus aut interruptionibus noxiis minus utile reddatur. Videant item, ut *impedimenta* (constitutionum verba recito) *quae animum a studiis avocant, removeantur;* et cogitent *consultum esse, quo aliis postea utiliores cum doctrina quam didicerint se praebeant, huiusmodi exercitia licet pia* (nimirum quae in proximorum utilitatem suscipiuntur), *donec studia sint absoluta, differri; quandoquidem non deerunt alii qui ea interim exerceant.* Non deerunt alii scilicet, si tamen ab aliis ea quae praestare possunt ac debent moderatores

in virtute et doctrina.

Const. p. 6. c. 6.

repetant, ac neminem propriae voluntati, velut de quo oboedientia statuere nequeat, relinquant. Quod si in tanto sodalium numero nulli officiis apti reperirentur, quid aliud tandem haec ipsa inopia demonstraret, nisi quantopere non expediat Societati abundare subditis ab initio non recte institutis? Hoc plane est quod metuo ac modis omnibus amoliri cupio, nimirum in multitudine paucitas. Hoc iterum est, quod sancti parentis provida mens spectabat, cum in decima constitutionum parte, diserte tractans *de modo quo conservari et augeri totum corpus Societatis in suo bono statu possit,* statim post iniunctas preces et inculcatum virtutum solidarum studium, *inter media*

Const. p. 10 § 3. *humana, vel per industriam acquisita, doctrinam exactam et solidam, et modum eam proponendi* primo collocavit: quibus verbis pauculis quidem sed ponderosis erudiri plurimum debemus.

Tristes effectus neglectae formationis.

17. Quam male igitur de Societate merentur, qui iuniores nondum religiosae vitae disciplina solidatos, nondum theologicis nec philosophicis rebus, immo nec ipsis fortasse humanitatis praeceptis excultos, praesenti aliquantula utilitate capti, diu in convictibus magno cum periculo detinent, crebro in collegiis incongruis occupationibus distrahunt, et quibus in catalogo studendi officium ascribunt, iisdem tempus ad studia idoneum, alia et alia, sive imponendo sive permittendo, eripiunt, metentes priusquam messis maturuerit, iactura longe maiore quam fructu!

Interea namque spiritus sensim tepescit, lineamenta hominis religiosi vixdum inchoata evanescunt, ingenii obtunditur acies, reditus ad pristinam vitae coercitionem post laxatas habenas, et ad acrem mentis contentionem post desuetudinem, taedium gignit ; et qui alias inter optimos scholares eminere potuissent, nunc mediocritatem vix attingunt ; atque ex iis non pauci, dum post plures annos in convictibus transactos eo tandem se reductos vident, dulcem illum affectum, quo initio Societatem ut matrem amantissimam amplexi erant, perdunt, ac amaritudinis et languoris sensum animo concipiunt, a quo in tota sua vita liberare se amplius vix aut ne vix quidem valent. Si tamen salva inter haec consistat vocatio, breviatio studiorum ab illis ipsis, quibus ab initio molestissima videbatur, patientiae aut spei defectu tandem exoptatur. Haec autem incommoda eiusmodi sunt, quae nullis rationibus excusari, nullisque emolumentis rependi possint. Nam quamvis Societatis facultates alicubi in arto sint, et quamvis alicubi sive nostrorum sive externorum petitiones moderatoribus molestiam creent, profecto neque illis opitulari, neque his morem gerere hac ratione expedit aut licet, ut Societas in filiis suis detrimentum capiat, quo ministeria supra vires assumantur. Etenim ad desiderium augendi discipulorum numerum et ad multiplicandam exinde provenientem utilitatem quod spectat, meminisse sufficiet (quandoquidem ad homines religiosos et

sancti Ignatii spiritu imbutos sermo mihi est) Societatem nostram non humanis huiusmodi supputationibus, sed mirabili Dei providentia ad animarum quaestum inchoatam et auctam, ad haec usque tempora consuevisse in Dei divitiis et protectione confidere, qui operi suo eo liberalius aderit, quo nos in nostris officiis viderit constantiores. Zelus vero qui se plurimorum saluti impendere cupit, sanctus profecto et nostra vocatione dignus est, dummodo ab oboedientiae regula et caritatis ordine non dissentiat, nec obiter illos praetereat aut neglegat, quos Deus pretioso vocationis dono sibi segregavit, ac Societati materna caritate complectendos dedit, ut in eius diciplina ad multorum salutem aliquando procurandam iuxta nostri instituti normam erudirentur. Nunc vero utinam cuncti convictuum et collegiorum moderatores saltem tantumdem curae ae sollicitudinis in filiis Societatis, quantum in externos prolixa voluntate conferunt, semper collocarent! Diligentius, opinor, atque suavius multi in illorum spiritualem profectum et omnimodas utilitates aciem cogitationum et viscera caritatis intenderent.

Omnimodae formationis necessitas.

18. Et hactenus quidem verbis gravioribus utens, pro illis egi quorum virtus periculis exposita, praesertim per diuturnam in convictibus moram, improvide relinquitur, aut quorum studia tum arbitrariis dilationibus, tum interruptionibus noxiis, aut simultanea aliorum munerum exercitatione graviter laeduntur. Verum Societatis

bonum postulat et beatorum nostrorum exempla excitant, ut moderatorum vigilantia etiam in eos qui cuncta ordinate peragentes nullum tale incommodum patiuntur, acuatur et sollicitior fiat. Etenim sive maiorum nostrorum exempla recolimus, sive praesentem sanctae Ecclesiae faciem et rerum publicarum condicionem contemplamur, sive damma et pericula tum nostra tum aliorum circumspicimus : omnia una voce conclamare mihi videntur, vocationem nostram, si alias umquam, nunc maxime virtute vere apostolica, adeoque firma et vigili disciplina quae ad illam animos educet, opus habere ; quippe ubi virtuti mediocri iam nihil satis tutum relinquitur, nullus conventiae locus esse debet. Et crebra iam dudum pericula nostros circumstant, quae saepius de summa rei, hoc est de ipsa vocatione animos parum firmos sollicitant ; atque utinam sine vulneribus res gereretur ! Iam vero in tam luctuoso rerum statu quid maeror et gemitus proderit, nisi simul remedium praesens et efficax adhibeatur ? Remedium vero, reverendi Patres et Fratres carissimi, praesens et efficax, mihi credite, aliud non reperietur, nisi ex parte superiorum resumptus exactae disciplinae vigor, et ex parte subditorum auctum perfectae oboedientiae et internae abnegationis studium ; quoniam ex his virtutibus in Societate nostra, perinde ac e praestitutis condicionibus, supernorum auxiliorum abundantia dependet. Atque ex iisdem non minus dependet

ea, quae in Societate tantopere laudatur, gubernationis suavitas, cum ibi solum exactissimae observantiae ordo suaviter custodiri possit, ubi sine ullo iudiciorum et voluntatum conflictu qui Christi loco praesunt agenda sine haesitatione demonstrant, et qui subsunt prompte et libenter exsequenda suscipiunt. Illa est contra falsi nominis suavitas, quae ne severior videatur, multa indulget et multa dissimulat, et residentem in superiore auctoritatem Christi pro dignitate venerandam minime exhibet, sensim vero fervorem virtutis et disciplinam debilitat, ac pro temporanea gratia plerumque multarum amaritudinum semina sibi et aliis praeparat.

Superiores exemplo praeeant.

19. Quam ob rem Superiores hortor ut tum officii sui, tum temporum memores, et pro suorum animis solliciti, religiosam disciplinam vigilantissime tueantur, et solidarum virtutum studium in omnibus accendere et fovere auctoritate, adhortationibus, ac potissimum exemplo vitae suae nitantur. Exemplo, inquam ; etenim ceteris in rebus sicut defectus, ita excessus noxius esse posset, et caute vitari debet : at religiosissimae vitae exemplum sine cuiusquam fastidio aut offensione assidue corripit et adhortatur. Et ideo *fere quales ipsi fuerint* (ait in decima constitutionum parte B. Pater Ignatius) *et tales eorum subditi erunt.* Quam gravissimam sententiam si serio fuerint meditati, atque si ita esse tum rationis tum historiae subsidio penitus sibi persuaserint, mirum ni ingenti

dolore perculsi sentiant quantum Deo et Societati debeant, cum in plerisque subditorum defectibus se ipsos agnoscere et culpari in conspectu Dei didicerint. Rursus ex hac humili consideratione plurimum proficient ad vigilem disciplinae zelum amantissima cum caritate iungendum; patientiam colligent et viscera dilectionis erga eos expandent, quos Societas eorum curae commisit, ac de quibus Iudici aliquando rationem sunt reddituri.

Idem reliqui Patres faciant;

20. Verum ut hanc rectam scholasticorum institutionem, quae assidue cordi meo tamquam onus grave incumbit, omni ex parte communiam, ceteros quoque patres, qui illorum mores propius et efficacius attingunt, orare et obtestari non omittam, ut superiorum curis auxilium in Domino ferant, et si quid debere se Societati recolunt, nihil suarum partium missum velint, ut eidem hac in re optatissimam gratiam rependant. Et plurimum profecto omnes, tametsi alii aliter, poterunt, dummodo haec non obiter sibi dicta, sed serio et impense commendata existiment. Ac primo rerum spiritualium praefecti sedulo inquirant quantum ipsimet in spiritu ferveant, et num dignos se praebeant quibus, quem ad modum olim patri Vergilio Cepari felicissime obtigit, Deus egregias animas sibi peculiariter dilectas credere in disciplinam dignetur. Quod si perfectae oboedientiae et christianae abnegationis amor, qui in non nullis paululum deferbuit, et in quo nostrae perfectionis cardo maxime vertitur, resuscitari debet; videant

maxime Praefecti spiritus.

rursus, quantum apud Deum ferventibus desideriis ac fusis precibus arduum hoc opus promoveant, ut inde illustrati atque inflammati aditum ad corda sibi parent, in eisque Dei amorem accendant et foveant. Nulli enim sunt alii qui suavius ac utilius quam spiritualium rerum praefecti permeare ad animos, et unum quemque in via divini servitii consilio aut excitatione iuvare in Domino possint ; item nulli qui his ipsis monitionibus meis, inter multas preces animo conceptis, commodius cooperari queant, eas identidem ad memoriam revocando ; ne quod facile contingit, humiliter auditae et religiosa docilitate exceptae sancta quidem desideria cordibus insinuent, at mox celeri oblivione deletae optatis fructibus careant. Verum ut haec fructuose exsequi possint, necesse est ut muneris sui partes magna cum perfectione impleant, nullosque debitae virtutis defectus in se ipsis leves ducant. Quapropter non possum non reprehendere illos, qui cum certissime sciant Societatem hoc ab illis exigere, ut spiritualibus nostrorum necessitatibus se totos impendant, ordinem zeli pervertunt, et ovibus non sibi creditis libentius quam suis obsequia caritatis praestant ; ex quo fit, ut raro ac difficile a nostris adiri et non quantum eorum condicio requirit iuvari queant.

Professores verbo et exemplo doceant.

21. Una cum superioribus et rerum spiritualium magistris, ipsos quoque professores directe compellandos et peculiariter rogandos censeo, ut

apud animum suum hac de re serio commententur, sibique certissime persuadeant ad exoptatam spiritus renovationem vim illam, quae in eorum concordi auctoritate et exemplo sita est, non modo utilem, sed citra miraculum esse prorsus necessariam. Etenim ipsum quod obeunt docendi munus in Societate sine dubio praecipuum, et apud scholasticos merito amplissimum, efficit ut pleraque illorum dicta et facta omnisque agendi ratio in omnium oculis assidue versentur ; et quo maiorem doctrinae opinionem ac reverentiam cotidiano magisterio colligunt, eo altius vel inviti sua sensa suosque mores auditorum animis imprimunt ; ingenti sane Societatis bono, et saluberrimo apostolatus genere, dummodo ipsi tales sint qui, sicut utili et solida doctrina mentes imbuere non omittunt, ita religiosarum virtutum exemplis praeire alumnis et praelucere nitantur. Hinc enim practica multorum dictamina oriuntur ; et quid religiosos deceat aut dedeceat, quid cum regulis nostris congruat aut secus, quid, sin minus laudari, saltem permitti in Societate possit, plurimi e Scholasticis non aliunde magis quam e professorum exemplis vel alloquiis, saepe ne advertentes quidem, colligunt : et difficillime reperietur, qui contra huius tacitae disciplinae cotidianam vim animum diu immobilem gerere queat. Idcirco iuvenes, sicut de rebus omnibus iudicia ferre et obloqui et querimonias de ipsis superioribus miscere non vere-

buntur, si haec noverint graviorum patrum auctoritate posse defendi; ita nihil tale audebunt, si tale nihil, immo contraria potius exempla in illis constanter viderint atque audierint; quoniam minores pudet ac paenitet, ab eorum moribus dissidere quos magni faciunt, et quorum vel tacita cogitatione reprehendi grave ducunt.

Professorum exempla quantum aedificent.

22. Quare ad singularem Dei providentiam refero, quod in Societate, quicumque eximia ingenii et doctrinae laude eminuerunt, idem ferme religionis quoque virtutibus plurimum commendarentur, quem ad modum illustriora nomina recensenti facile apparebit; atque passim contingit ut, si quid umquam religiosae perfectionis secundas dare partes videantur, eorum scientificis laboribus Deus non valde nec diu aspiret, ne in spiritus detrimentum et ad multorum perniciem excellant. Etenim professorum auctoritati tantum tribuo, ut ad splendorem religiosae vitae, sicubi excidit, celeriter restituendum hanc unam sufficere existimem, dummodo tamen universi (recogitantes quam ob causam tantos cotidie labores nullo humano emolumento perferant), velut uno afflati spiritu, se ad regulam summarii decimam quintam interius exteriusque componant, et *constanti animo omnes incumbant, ut nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possint, in absoluta omnium constitutionum observatione, nostrique instituti peculiari ratione implenda praetermittant.* Ita enim profecto fiet, ut scholastici illos *considerantes in*

Summ. Const. 15

Summ. Const. 29.

devotione crescant, et si quid in se ipsis ab hoc exemplo abnorme viderint, cito improbent et ipsimet nemine reprehendente castigent ac corrigant. Quamvis autem inter haec nemini sit dubium quin humilitas, utpote ceterorum radix, praecipua sit, tamen iustas ob causas circumspectionem aedificationemque verborum omnibus maxime commendatam esse cupio. Erit autem in verbis circumspectus is qui pervigil cavebit ne reverentiam superioribus et caritatem omnibus debitam loquendo violet ; ne quid temere et inconsulto, ne quid per iram aliumve inordinatum animi motum emittat ; postremo qui culpam omnem, dum loquitur, et imperfectionem devitabit. Aedificat vero qui super hanc curam illud addit, ut, in quemcumque inciderit sermonem, eam adhibeat loquendi rationem quae animum religiosis principiis sincere imbutum prodat, terrenarum rerum contemptorem, divinae gloriae et spiritualibus bonis vere addictum, Deo fidentem, et mundanas omnes vicissitudines, non saecularium ritu, sed altius in Domino contemplantem ; quae si e cordis sensu nativa simplicitate manabunt, spiritum fovebunt, et nequaquam modestae et religiosae hilaritati adversabuntur. Verum de his ego quidem satis ; utinam uni cuique plura interior Spiritus sancti lux et afflictae Societatis amor in corde loquantur : iam enim, ut spero, plerique omnes multa cernent in quibus beatis nostris Petro Canisio et Ioanni Berchmans, optatissimum

illum cultum qui in imitatione versatur, pro suo quisque gradu et munere exhibeant.

B. Canisius exemplar esse debet missionariorum.

23. Reliquum est ut eos quoque paucis alloquar, qui varia Societatis ministeria ad proximorum salutem pertinentia in agro dominico exercent; ubi primi statim occurrunt, qui omnem carnis affectum plenius Domino immolantes, vitam vocationi nostrae maxime congruam apud exteras gentes in missionibus degunt. Et hi quidem optima et saluberrima documenta a beato Germaniae Apostolo ad suam eruditionem derivare facile poterunt, dummodo imitationis studium eo intendant, ubi utilitas certissima est et deceptionis occasio nulla formidatur. Collucent enim in uno simul tum admiranda illa Dei munera, quibus divina providentia in salutem multorum eum exornare dignata est, tum illae apostolicae virtutes, quas omnes, qui ad similem vitae rationem electi sunt, animo strenuo aemulenter oportet. Ut nempe tam grandem rerum molem unus sustentet, utque unus consilio, opere, auctoritate plurimis aequipolleat, et tam varia atque difficilia mirantibus cunctis arripiat atque conficiat; *non volentis neque currentis* profecto est, sed illius qui in viris dexterae suae, ubi vult, operatur mirabilia solus, quo ipsius potentia et virtus. praesertim ad sanctae Ecclesiae catholicae illustrationem, splendidius innotescat. At vero quo spiritu beatus Petrus ad ea quae per illum agere Deus vellet idoneum instrumentum sese exhibuerit,

Rom. 9. 16.

hoc nosse et meditari operae pretium erit; ut cuncti eundem spiritum imitantes ad ea dona, quae in electorum salutem largiri Deus decreverit, sive plura seu pauciora futura sint, aditum sibi tutissimum patefaciant. Non hic tamen fidei ardorem et animarum zelum, neque invictam in plurimis laboribus patientiam commemorabo, quas esse virtutes in apostolico viro praecipuas nemo sane obliviscetur; illa potius redigam ad memoriam, quae cum in omnibus Societatis filiis praecipua sint, ab apostolicis viris qui velint de Societate esse, nulla ratione neglegi impune possunt; atque utinam inter opera quae zeli impulsu in missionibus suscipiuntur, e memoria numquam elaberentur! Videlicet beatus Petrus Canisius illam perfectissimam oboedientiam, quam ex apostolico viro Petro Fabro primum didicit, et totius vitae suae ducem et arbitram tiro delegit, usque ad senium eadem puritate servavit, et totius apostolatus sui voluit esse comitem et magistram. Hinc quamvis persaepe pulcherrimas suscipiendarum rerum occasiones in manibus tenere videretur, et in mediis locis ac negotiis degens omnia haberet optime explorata; quamvis praeterea a principibus viris magnisque civitatibus certatim expeteretur, et pro illa qua apud omnes eminebat auctoritate multa continuo aggredi, multa ad suum deflectere arbitrium facili negotio posset; mirum est qua constantia et humilitate in illo simplicissimae oboedientiae proposito perseverave-

praesertim in oboedientia perfecta.

rit, et in omnibus rebus semper perfectum Societatis filium se praebuerit, cuncta ad Praepositi generalis iudicium humiliter deferens, sive S. Ignatius ille esset, sive quilibet alius e quattuor successoribus, nullo personarum habito discrimine, et ei rem totam de qua ageretur mira simplicitate exponens, sententia sua vel prorsus suppressa vel tantummodo significata, ut integrum esset superiori id statuere quod re cognita expedire in Domino iudicasset : quoniam merito arbitrabatur, hunc modum decere eos qui superiorem Christi loco vere consulunt, et non tantummodo aliquam sententiae iam destinatae approbationem aut impetrare aut extorquere conantur. Qui autem hoc animo erat in exquirenda Praepositi voluntate, nil mirum profecto si eiusdem responsa perinde ac Dei vocem laetus exciperet ac promptus exsequeretur, nec ea rerum aut locorum imperitiae aliisve humanis defectibus umquam ascriberet : quae nimirum cogitationes animos in suo sensu fortes, in oboedientia autem infirmos plurimum saepe conturbant. Huic autem eius agendi rationi copiosissima Dei benedictio numquam deerat : qua fultus et supra usitatum modum potens effectus, fortitudine invicta et fiducia concuti nescia, quicquid ei demandatum fuisset alacer aggrediebatur, et in incepto stabilis persistebat, nihil aliud cogitans aut cupiens, donec ab eadem oboedientiae voce ad alias curas vocaretur. Et sapienter quidem ; quoniam in operibus divinae gloriae, omnes humanae

Eius oboedientiae benedictio.

molitiones quas Deus non fortunaverit in irritum concident, et molestias atque pericula auctoribus suis sine fructu excitabunt. Grande enim discrimen est inter ordinis naturalis effectus, qui consiliis et viribus humanis provehi possunt, et supernaturalis ordinis opera, ad quae homines nihil praeterquam humile ministerium afferre possunt : quo certe ministerio Deus uti nolet, si ei contra regulam ab ipso constitutam offeratur ; cum illius obsequii quod divinae maiestati a nobis debetur, pars potissima sit, ut cum sacrificio voluntatis totiens promisso omne opus externum coniungatur.

Quae malatimenda missionariis,

24. Verum ne in incerto quorsum haec spectent relinquere videar, aperte dicam : ut magnum et sublime est missionariorum officium, ita multas et pessimas contra illud ab inimico humani generis et a naturae nostrae fragilitate non raro suscitari insidias et pugnas. Nunc enim uni ager ad culturam traditus nimis angustus, alteri parum frugifer videtur ; nunc ministeria quae exercentur parum utilia, nunc minus recte ordinata apparent ; modo subditi moderatoribus, modo subditis moderatores displicent. Non raro eorum quae praescripta sunt fastidium, et aliarum rerum quae fieri non debent desiderium animos agitant, nullaque in re diu quiescere et alacrem Domini famulatum impendere sinunt. Et quoniam inter haec divinae gloriae zelus et proximorum caritas corda exstimulare putantur, idcirco huiusmodi defectuum gravitas non agnoscitur, et eorum

causa, quae intime in animis oboedientiae et abnegationis vacuis latitat, in eos potius reicitur qui illa non probant quae expetuntur. Atque haec quidem funestissima est neque rara illusio, qua homines etiam sacerdotio et aetate graves decipi se quandoque sinunt, ac illa ipsa vitae spiritualis elementa quae tirones didicerant, oblivisci seniores videntur. Eia, Patres et Fratres carissimi, spernite, quaeso, istas amoris proprii fallacias, quibus adversarius vester animi vestri pacem tollere et opus Dei perturbare nititur. Excitate in vobis spiritum qui datus est vobis ; et communem omnium nostrum matrem, quae non illa certe nobis in Christo parvulis documenta dabat, inter tam multas acerbitates, integra spiritus renovatione et plena voluntatis vestrae atque iudicii oblatione laetificate. Et quoniam non humanum, sed divinum est opus quod suscepistis, semitam vestigiis sanctorum protritam inite et currite, ut ad eundem exitum pervenire mereamini. Si divinae gloriae zelo ardetis, oboedientia vestra Dei glorificatio erit ; si animarum saluti consulere optatis, animae vestrae oboediendo consuletis. *Quid autem prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur ?* Cognita per oboedientiae vocem Dei voluntate, conticescat humana prudentia, quae incrementum dare non potest : ea quae vobis iniunguntur opera urgete ; et ex illis tantummodo, non ex aliis ad vestram voluntatem pertractis, gloriam Deo, salutem proxi-

nisi humiliter dirigi se sinant.

Matth. 16. 26.

mis, vobismet ipsis retributionem aeternam quaerite et exspectate. Nam si quando Deus a vobis plura et maiora voluerit, et si ut haec velit perfectioribus virtutibus promeriti aliquando fueritis, non contradicet providentiae suae legibus, sed ea vobis, per illos quos voluntatis suae interpretes Societati dedit vel daturus est, legitime ac iuxta divinum suum beneplacitum aperiet et demandabit. Haec fides vocationi nostrae summopere necessaria est; et quisquis in ea haesitaverit, atque ab hac regula discesserit, multis utique maeroribus obnoxius vivet, et labores suos iusta sterilitatis poena multatos, in exitu diei sero sapiens agnoscet.

Ceteri operarii quoque B. Petrum imitentur.

25. Sed ut ad alia pergam, etiam apud nos passim in collegiis ceterisque Societatis domiciliis multi sunt, qui spiritualibus erga proximos ministeriis primario addicti, luculentis B. Petri Canisii exemplis valde iuvari poterunt, ut in iisdem obeundis proprium vocationis nostrae spiritum fructuosius assequantur. Ego tamen e multis unum seligam, in eoque sistam ; ut quo pauciora inculcavero, eo impensius omnes ad fructum inde capiendum obstringam. Id igitur quod supra affirmavi, in dubium nunc sane non adducam, Beatum illum, utpote virum ad ruinas infelicis Germaniae reparandas singulariter electum, idoneis ad hunc finem adeoque singularibus donis et talentis liberaliter a Deo exornatum, ea suscipere et exsequi ad maiorem Dei gloriam potuisse, quae homines

ordinarii, quantumvis optima voluntate praediti iuxta communem divinae providentiae legem nulla ratione possunt. Nam et Dominus noster, qui omnem apostolicae vitae rationem in se praeformavit, saepius hoc communi apostolatus genere quam illo splendido et admirabili, ad nostram haud dubie eruditionem uti voluit. At, quamvis haec vera sint, tamen simul cavendum nobis est ne sub modestiae habitu callidus hostis insidias ponat, et ad neglegentiam atque ignaviam animos nostros fraudulenter excitet et inducat. Quis enim, quis erit, qui si beati Petri curas innumeras atque pravissimas in diuturna sociorum directione, in legationibus, in contionibus, in omnibus ministeriis mente versaverit, ac deinde paululum attenderit quantum temporis inter haec ad amplam solidae doctrinae et multiplicis eruditionis supellectilem sibi comparandam, et copiosa oratione explicandam reperire potuerit ; non protinus ad sese cogitationem reflectat, et fortassis culpabilis desidiae metu tactus, rationem et usu temporis a semet ipso exigendam non intellegat ? Nihil enim proderit blandum ac facilem sibi iudicem exstitisse ; quoniam *quae seminaverit homo, haec et metet*, tunc nimirum cum iustissimus iudex *reddet unicuique secundum opera eius.* Crebri in culpandis temporibus temporumque iniquitate sumus, et occasiones operandi deesse frequens multorum querela est. Quod utcumque se habeat, illud profecto verum esse novimus, nec contiones,

Gal. 6, 8.

Apoc. 22, 12.

nec fidelium confessiones, nec alia eiusmodi ministeria plerisque in locis tanta esse, ut homines his rebus deditos graviter occupent.

26. Quapropter, cum necesse sit multas cotidie horas et non raro dies solidos a ministeriis vacuos decurrere, haud immerito de huius temporis usu sollicitus, hos omnes hortor ut, quem ad modum illud transigant, tamquam rationem de eo reddituri attente considerent. Atque in hac consideratione ne decipiantur, principii loco apud semet ipsos statuant oportet, otii noxam in Societate non tunc solum incurri cum prorsus nihil, sed multo saepius cum non id agitur quod utile sit nostraeque vocationi accommodatum. Quonam igitur pacto excusare se poterunt, qui paucis rebus mane functi, non exiguam diei partem, inter varias modo cum domesticis, modo cum externis confabulationes terunt; omnes qui circumferuntur rumores accipiunt ac reddunt; et cum ad cubicula se referunt, iam dudum a studio et severis lectionibus abhorrentes, nunc ephemerides et obvios illos qui identidem prodeunt libellos (qua de re alias questus sum), nunc opera depellendo taedio quam parandae doctrinae aut fovendae pietati aptiora manibus versant; parum vero solidum, parum vel nihil sacerdote et religioso viro dignum legunt aut commentantur? Non hac profecto doctrinae et eruditionis supellectili apostolus formatur, aut verbum Dei graviter et pro dignitate tractatur: non hac scientia

Diligenter se praeparent,

et tempus bene inpendant.

serpentibus impiorum erroribus fortiter occurritur, nec populus christianus a saeculi vitiis abducitur, et ad virtutum opera inflammatur. Neque sufficit studii curriculum diligenter atque feliciter aliquando percurrisse ; nisi enim assiduo et laboriose mens repleatur et cotidiano quaestu cotidiana memoriae damna reparentur, fieri nequit ut animus rerum inops in promptu habeat quae tempori et loco accommodata suppeditet ; nec subitis apparatibus poterit operosioris doctrinae penuria compensari.

Ministeria vitio nostro saepe languent.

27. Fallimur profecto, si alieno tantum vitio languere ministeria existimamus, cum nullum sit dubium, quin ad ipsos saepe ministros languoris causa sit magna ex parte referenda. Si nihil in rebus grave et ponderatum, nihil in verbis totaque dicendi ratione ornatu sobrio perpolitum splendeat ; numquid prudenter exspectare possumus, ut ad orationes nulla cura elaboratas concursus auditorum fiat, aut eorum animi ad pietatem commoveantur ? Illud vero quam indignum est, in eadem Societate, dum tam multi in suis officiis plurimum elaborant, ipsamque non raro sanitatem conterunt, alios domi vagantes futtilia serere colloquia et velut homines male feriatos nugari ? Quam autem probrosum, exsistere aliquos in Societate, qui cum tempore vacuo abundent et praesidiis omnibus ad perdiscendum necessariis sint instructi, tam incuriose se gerant, ut de negotiis saecularium deque omnibus quae vulgo dictitan-

tur ac fiunt, multo melius quam de rebus ad sacerdotalem scientiam pertinentibus sermocinari possint: a quibus si quaeratur quantum sint in divinarum Scripturarum lectione versati, quantum in operibus sanctorum patrum, in scientia morali, in historia ecclesiastica cotidie legendo et commentando proficiant; aut certe quanam in scientia horas a ministeriis vacuas collocare consueverint, verum respondere quaerenti sine pudore non possint. Nec tamen absurda percontatio, maxime si a superiore fiat, dici poterit, quando contionatorum regula quarta, ut, *sacrae Scripturae et patrum lectioni praecipue incumbant*, diserte praecipit; et provinciales curare iubentur, ut qualibet in domo semper sit qui in scientia morali praestet, et occurrentes domi forisque difficultates expedire tuto queat, cum non raro ab externis solutio quaestionum theologicarum quaeratur apud nostros, quos prae ceteris in re theologica versatos existimant. Et sane quae lectio omnibus operariis aptior? quae requies a ministeriis suavior? quae item animi praeparatio ad novos pro Iesu Christi gloria aggrediendos labores utilior? *Sint castae deliciae meae Scripturae tuae Domine* (inquit beatus Augustinus), *nec fallar in eis, nec fallam ex eis... Largire spatium meditationibus nostris in abdita Legis tuae, nec adversus pulsantes claudas eam. Nec enim frustra scribi voluisti tot paginarum opaca secreta.* Alterum vero Ecclesiae lumen S. Ioannes Chrysostomus, pro ea qua saepe nitet ingenii ve-

Studii sacri utilitas.

11. Confes. 2. 3.

nustate, in Scripturarum laudibus exsultans : *Velut in prato*, ait, *multos et varios video lectionis flores, amplum rosarium, multas violas, nec pauciora lilia ; sed et varium ubique ac copiosum spiritus fructum, et multam odoris suavitatem. Immo non tantummodo pratum,sed paradisus est divinarum lectio Scripturarum ; non enim nudam solum fragrantiam habent eius flores, sed et fructum qui animam nutrire possit.* Hactenus ille : nec pluribus opus est ut appareat quam sint divino huic volumini iniurii, qui cum fortunate possint caelestem illam sapientiam toto diffusam opere plenius degustare, omnem eius usum ad perpaucas redigunt sententias hinc atque inde avulsas ; et dimissis sanctorum deliciis, levissima opuscula, ex quibus nihil discitur, inexhausto sapientiae thesauro practice anteponunt. Iam vero patrum opera quis dubitet quin sint, cum ad ipsas Scripturas utilius commentandas, tum ad omnem usum evangelicae praedicationis, contionatori christiano adiumentum maximum atque locupletissimum ? Neque existimandum est horum lectionem iis solum commendari, qui ad nobiliorem eloquentiae formam sunt vocati : nam in libro exercitiorum beatus parens Ignatius aperte nos docet, id in patrum operibus quaeri debere, quod omnibus aeque operariis prorsus necessarium est. Ait enim in regulis ad sentiendum cum Ecclesia : *Sanctis Doctoribus antiquis Hieronymo, Augustino, Gregorio, et consimilibus scopum fuisse, ad amorem et cultum Dei amplec-*

Hom. 21. de statuis ad pop. Antioch.

tendum animos movere. Quem autem scopum praestitutum sibi habent et consequi conantur omnes plane qui cum proximis agunt, nisi hunc ipsum, ut ad amorem et cultum Dei animos perducant? Porro haec paulo fusius sum persecutus, non quod in re obscura versaretur sermo, sed ne iis quos supra innui excusatio illa reliqua esset, quae solet ex occupationum paucitate sumi; quamvis, ut vere fatear, si haec serio obiceretur, ex aliis quoque capitibus plerumque haud difficile refelli posset.

Verba solacii ad dispersos.

28. Ast venio iam eo quo mihi ingens animi aegritudo viam ostendit, ad eam nempe sodalium nostrorum partem, quae exsilium in patria reperit acerbissimum, et eiecta e domo Dei in vorticem fluctuum mundanorum, pericula saeculi eamque miseram libertatem cuius iam diu feliciter oblita vivebat, invita et maerens denuo temporum iniquitate cogitur experiri. His equidem summopere vellem, quicquid amantissima caritas potest utilis solacii eloquendo afferre, ex intimo corde depromptum cumulatius impertiri; at video simul nihil esse mihi exquisitis rationibus agendum, sed eo potius recurrendum unde omnem salutarem consolationem repeti semper debere centies ac milies didicimus expertique docuimus. Videlicet quicquid circa nos obstrepuerit, quicquid evenerit, in sanctissima Dei voluntate unice requiescendum est. Etenim si quid videtur iuste conturbare illorum animos posse, id alterutrum perfecto erit,

aut perpessio incommodorum quae in hac rerum asperitate vitari undequaque non possunt, aut metus ille sanctus et laudabilis, ne inter haec spiritus detrimentum capiat ipsaque vocatio in discrimen adducatur.

Dei voluntatem adorent.

29. At vero, ad incommoda quod attinet, quis infitias ibit ea, quaecumque sint, mirum in modum ad perfectionem acquirendam iuvare, simul ac ad sanctissimam Dei voluntatem animus sese pia cogitatione receperit ? praesertim si ad communes patientiae rationes accedant illae quae nobis propriae sunt ; si nempe mente recolamus quae sensa totiens in *Spiritualibus Exercitiis*, *Christi regnum* ac *tertium humilitatis gradum* meditantes animo concepimus, quas nostri oblationes Domino exhibuimus, quid denique interposita etiam voti religione Deo polliciti sumus ? Si enim ad exteras gentes ac barbaras sine viatico mitteremur, nonne longe plura et graviora incommoda sine cunctatione obire deberemus ? Quomodo ergo magnum existimabimus, si Deo visum fuerit eius tanti oneris particulam, velut e cumulo detractam, nobis hic in patria manentibus imponere ? Fratres eorum sumus, qui avide expetebant et, S. Francisco Xaverio agmen ducente, procul quaerebant ea quae miseranda regionum nostrarum calamitas nobis in propinquo obtulit. Nec fere ullum fuit umquam, post institutam Societatem, tempus, quo non plures paucioresve eiusdem filii, alicubi dispulsi, eadem experirentur

Multi graviora pro Christo passi sunt.

quae in praesenti multorum dispersione similiter sunt perferenda. Nihil ergo novum nobis accidisse existimemus; quoniam quietem labor, securitatem periculum, felicitatem patientia numquam non anteivit. Nec mirum est, quando *oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam*, hanc nobis legem esse constitutam, ut *omnes qui pie volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patiantur*. Verum si sensui asperum est illud: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini*; at quam iucundum spiritui sonat quod sequitur: *Tristitia vestra vertetur in gaudium!*

Luc. 24, 26. 2. Tim. 3, 12. Ioann. 16, 20.

30. Quod si quem forte non huius generis difficultates terrent, sed metus ille sanctus atque laudabilis, ne spiritus religiosus ipsaque vocatio in discrimine versentur; primum gratias ago Deo, quod hunc ipsum timorem indiderit cordi eius, indicem spiritus vere religiosi, ac sanctae vocationis optimum custodem. Nemo enim ab hoc periculo abest longius quam qui humiliter salubriterque metuit. Deinde, ut quam plurimum Deo fidat, etiam atque etiam hortor et obtestor; utque illa Apostoli verba ad memoriam saepe reducat: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Quam sententiam exponens S. Thomas annotat, *depositum dupliciter* dici: *Uno*, inquit, *modo, quod ego deposui, et sic homo deponit apud Deum salutem suam, quando se Deo totum committit.... alio modo, quod penes me positum est, scilicet*

Metus perdendae vocationis plerisque salutaris, modo Deo fidant,

2. Tim. 1, 12.

Comm. in Pauli epist.

officium Evangelii. Iam si vocationem velut pretiosum Dei thesaurum considerare placeat, cordibus nostris caelitus immissum, ac nobis ad custodiam creditum, usque in illum diem quo repetenti Domino integrum sistendum erit; numquid viribus nostris nostraeque prudentiae confisi, illum inter tam crebra pericula servandum recepimus; annon magis Deo auxilium suum promittenti fidenter credidimus, scientes illum potentem esse qui traditum nobis depositum tutaretur? Quod si eandem vocationem potius ceu bonorum nostrorum portionem nobilissimam consideremus (quando quidem vere et Dei est et ex illius liberalitate nostra), quis est qui, si animo reputet quam saepe illam sibi diffidens in Dei manibus reposuerit, et tamquam filius patri amantissimo custodiendam tradiderit, non continuo exclamet fiducia ingenti: *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem;* quo videlicet die universa vitae huius pericula feliciter elapsi, nihil amplius formidaturi sumus? Numquam enim praesentissimum Dei auxilium iis deerit qui non sua culpa in magnis vitae difficultatibus versantur, dummodo ita se in omnibus gerant, ut Societatis filios decet, utque ipsimet facturi essent, si in missionibus extra domos procul a sociis soli ac vagi vitam ducerent. Quamquam extra domus quidem, attamen non procul a sociis et superioribus suis plerique degunt, eritque sane et vocationis

et cum Superioribus coniuncti sint.

praesidium et perseverantiae indicium minime neglegendum, si religiosa litterarum communicatione testentur se, licet corpore separatos, spiritu et promptissima oboediendi voluntate coniunctissime nobiscum vivere. Utinam potius omnes hoc amittendae vocationis salutari metu afficerentur, atque ita ab amissionis periculo liberarentur! Ego enim non his, neque illis omnibus timeo quos bene novi in hac ipsa dispersione vitam agere religiosissimam; quin potius iis gratulor, atque ut eodem modo pergant, ad B. P. N. Ignatium preces ex animo cotidie fundo. Ceteris anxius metuo, si qui fortasse sunt, quibus Aegypti tellus sensim non tantopere displicere, neque tribulos solum ac spinas germinare videatur; qui squalentes religiosae domus parietes, et austeram vitae disciplinam gelido affectu recordari incipiant. Praestet omnipotens Deus, ut eiusmodi nulli sint, aut ut malis principiis obstent, sibique mature prospiciant. Neque enim miseros fratres maximo in periculo constitutos durius reprehendere intendo; sed pro illis potius in spiritu caritatis divinam opem imploro, eosque enixe obtestor et rogo ut animae suae misereantur, et magnis illis, quas certe norunt, fidei veritatibus nutantia corda corroborent. Fides enim lumine suo, reverendi Patres et Fratres carissimi, mundi contemptum et crucis amorem ab initio nobis indidit; eadem profecto crucis horrorem et mundi illecebras vincet et ex corde depellet. *Fide* namque, *fide Moyses*

grandis factus negavit se esse filium filiae Pharao-
Hebr. 11, 24-26. *nis; magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem: maiores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. Ideoque et nos* (sic idem Apostolus paulo
Hebr. 12, 1-3. post efficacissime infert) *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semet ipsum contradictionem, ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Quae sane Apostoli adhortatio tam augusta maiestate animum percellit, tamque divina est, ut ad eam ne verbum quidem ex humana paupertate additum velim.

B. Canisius senibus et infirmis solacium.

31. At dum B. Petri Canisii deficientem vitam, sanctamque senectutem mente recolo, exstimulor ut pauca consolationis verba ad eos peculiariter convertam quos, pro communi mortalium condicione, corpus vel annorum pondere fatiscens, vel infirmitatibus detritum aggravat, et ab usitatis ministeriis ad ingratam cessationem transfert; praesertim quod hos deploranda rerum facies gravius quam ceteros contristare consuevit. His autem quid ego tum ad animi solamen, tum ad spiritus profectum utilius eloquar, quam ut abiecta omni terrenarum rerum cogitatione sursum incessanter aspirent, et more Sanctorum vitam in bonis

operibus transactam flagrante in Deum caritate perficere et coronare festinent? Quod dum pro mensura gratiae illis divinitus communicatae facere impense studuerint, nequaquam oneri in Societate (qui timor non nullos angere solet) sed gaudio potius ac utilitati erunt. Quae enim ad virtutem iuvenibus melior adhortatio, quam senectus religiosis virtutibus veneranda, quae omnibus assidue praeluceat regularum observatione, humilitate, oboedientia, atque inter ipsas morborum molestias ea vultus serenitate quae animi quietem in Dei beneplacito luculenter manifestat? Quod si quis florente adhuc aetate in hanc vitae condicionem, Deo volente, devenerit, is eo gratius divinae voluntati obsequium, quo sibi difficilius videbitur, se praestiturum esse certo confidat. Placet siquidem divinae maiestati, ut in hoc tanto sodalium numero aliqui semper sint qui in expiationem eorum quibus cotidie aspergimur defectuum, cotidianum religiosae patientiae et caritatis sacrificium in semet ipsis immolent; Deum ac Dominum suum, quoad possunt, imitati, qui *peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit.* Isai. 53, 12.

Quid FF. Coadiutores a BB. discere debeant.

32. Atque hic iam finis esse posset: nisi quod animadvertens me, quamvis raptim, tamen per omnes Societatis classes, exceptis Fratribus Coadiutoribus, decurrisse, et omnibus aliquid ad spiritus profectum aut innuisse aut inculcasse; facere non possum, ut hanc tantam Societatis partem, et (si religiosis virtutibus resplendeat) divinae

gloriae et proximorum aedificationi adeo utilem velut oblitus praetermittam. Quomodo enim ullam Societatis partem obliviscar, qui iam tot annos omnes diurnas atque nocturnas, quantum in Domino valeo, cogitationes meas Societati dederim atque dicaverim, ita ut de nulla re iam vel laetari vel dolere promptum sit, praeterquam de illius aut prosperis successibus aut rebus adversis? Verum, ne multis utar, dicam extemplo esse duo praesertim, quae fratres nostri coadiutores a beatis nostris Petro et Ioanne potissimum discere debent; quaeque ad religiosam vitam, si ea rite servaverint, plurimum conferent, ac idcirco commendanda prae ceteris mihi videntur: veram scilicet ac intimam cordis humilitatem, et assiduam ad oboedientiae nutum occupationem. Quamvis enim in aliis quoque virtutibus ad animarum suarum sanctificationem proficere debeant; tamen non dubito quin, si illa duo non desint, has multo facilius consecuturi sint. Nam ipso etiam experimento cernitur, eos qui prae ceteris vere humiles et laboriosi sunt, ferme inter optimos fratres ab omnibus numerari; contra vero, qui ignaviae aut superbiae vitio laborant, eos plurimis aliis abundare defectibus, et merito in omnium reprehensionem incurrere. Quod sane mirum aut obscurum non est. Nam cum illorum vocatio poscat ut in vita activa ad oboedientiae normam obsequium Deo impendant, quem umquam perfectionis gradum attingere poterunt, nisi quantum mun-

dani homines ex lucri cupidine, tantum ipsi eoque diligentius ex caelestis praemii spe et Dei amore ad laborem afficiantur ? Sane, sicut alii e Societate assidue ad studia incumbendo, alii proximos in spiritu assidue iuvando, ita necesse est ut illi assiduos in domesticis muneribus labores perferendo, ubertatem divinarum gratiarum, indeque profectum in omnibus virtutibus quaerant et promereantur. Iam vero si *hunc Societatis gradum*, ut habet regula illorum secunda, *in primis ornant et perficiunt devotio,animi quies,tractabilitas, amor virtutis, et desiderium perfectionis*, quis umquam vel mediocriter ad has virtutes pertinget sine vera et intima cordis humilitate ? Quin immo si humilitas deest, contraria prorsus eveniant necesse est. Nam devotionis concipiendae nulla suppetet ratio, quandoquidem *humilibus Deus dat* 1. Petr. 5, 5. *gratiam, et cum simplicibus* interior *sermocinatio* Prov. 3, 32. *eius* est. Pro animi quiete, quam Christus mansuetudinis et humilitatis fructum esse docuit, turbidi affectus, mores incompositi, et iurgandi facilitas animos arrogantiae peste infectos semper comitantur. Si humilitas deest, qua tractabiles se praestent, reperientur persaepe asperi, indociles et inofficiosi : quibus modis non solum domesticis graves fient, sed etiam externos (quod experimento notum est) haud raro offensos et alienatos ac scandalo affectos dimittent. Denique amorem virtutis et perfectionis desiderium quo pacto prae se ferent, qui ne fundamentum quidem spiritualis

vitae, humilitatem inquam, posuerunt; qui tum loquendo, tum agendo quandam animi elationem et immodestiam ostentare videntur? Scilicet innumerabilium bonorum radix est humilitas : ad quam omni ope coniti debent quicumque se ipsos ditare virtutibus et utilem Societati operam navare desiderant.

Virtutes Beatorum omnes imitemur.

33. Verum iam satis ; non enim propositum mihi fuit ulla de re copiosius disserere, sed varia potius ex sanctissima vita beatorum Petri et Ioannis obiter innuendo efficere, ut ex ipsis rebus fieret perspicuum quas ad virtutes erigendi sint animi, si quod omnibus curae esse debet, vere efficaciterque exoptamus defectuum nostrorum radices evellere, consilio longe meliore quam vel ipsos defectus per incuriam augere, vel inanes de iis absque ullo emendationis emolumento edere lamentationes.

In Societate non deest virtutis studium.

34. Ceterum in exitu huius epistolae, quo universos mihi in Christo reverendos Patres carissimosque Fratres communiter sum allocutus, ac in singulis fere officiorum generibus non nullos defectus notavi, ut oboedientiae praesertim, humilitatis, et religiosae abnegationis spiritum omnes cum Dei auxilio ad Beatorum nostrorum exemplar redintegrandum intellegerent ; illud etiam ad commune solacium et ad veritatis tutelam dissimulare non debeo, has virtutes non adeo esse apud nos obscuratas, ut ipsa Societas decolor et a suo instituto iam degener existimari debeat. Absit enim ut tam iniusta suspicio in mentes filiorum incur-

rat, quae ne in inimicorum quidem mentes incessit ; quoniam si in eorum animis reapse insedisset, numquam eam pergerent pessimis proscindere calumniis et veteribus odiis exercere ; cum exploratissimum sit, eos non oboedientiae alteriusve eiusmodi virtutis defectum in nobis odisse aut damnare, sed antiquam vitae nostrae institutionem ac firmum propositum metuere et detestari.

Cur hic adeo commendetur.

35. Numquam autem in humanis cordibus vitiorum semina, neque in religiosis coetibus humanae imperfectiones defuerunt ; et, quoad Societatem, testes sunt ipsae generalium Praepositorum epistolae, quae, ut nostis, haec eadem mala identidem reprehendunt et conqueruntur. Verum haec animadversio ita Societatem ipsam a calumnia vere vindicat, ut tamen nec me a iusto metu sollicitaque cura liberet, nec sociorum cuiquam ad culpae excusationem, si a Societatis spiritu defecerit, quicquam prosit. Primo namque nihil impedit quominus sine ulla Societatis iniuria vere existimemus, imperfectiones illas, quae numquam defuere, nunc pro sodalium numero, partim temporum vitio ac partim nostro, crebriores gravioresque sensim fieri potuisse vel etiam factas esse. Deinde prudentiae erit, has ipsas imperfectiones eo nunc periculosiores ducere, quo ad mundanam huius nostrae aetatis contagionem accedunt propius ; sicut etiam grassantis pestilentiae tempore quodvis principium morbi, quod aliquam cum lue affinitatem habeat, formidolosius est et

Pericula quibus exponimur.

promptius curatur. Non enim a saeculo tantum absumus ut de eius vitiis nihil concipere possimus, nihil timere debeamus. Numquid non videmus, audimus, legimus cotidie multa quae augustissima quaeque deducunt ad trivia, omnemque reverentiam legitimis auctoritatibus debitam et ipsam legitimae auctoritatis notionem, consuetudine loquendi et obloquendi atterunt atque consumunt? Accedit quod noxiae stirpes, nisi assidue praecidantur, per se ipsae succrescunt et propaginibus multiplicantur: quapropter Societatis incolumitati (quam ex Dei bonitate perennem fore confidimus) alterutro remedio prospiciendum omnino erit, vel a nobis fructuosa et spontanea illarum avulsione, vel a B. P. N. Ignatio severa nocentium membrorum reiectione. Hoc autem posterius, quamquam ad extremum optabile foret, tamen quis umquam siccis oculis optaverit? aut quis non illud prius ardentissime praeoptabit, quod et Societati melius et multis fratribus nostris unice bonum est? Nostris, inquam, fratribus: quid autem si nobis ipsis? *quid si mihi*, unusquisque tacitus haud inconvenienter in animo suo subiciat? Equidem opinor esse neminem in Societate, qui cum haec serio recogitet et quo simus loco circumspiciat, non multo magis et moneri et corrigi et reprehendi malit,quam periculosa superiorum lenitate in tantum venire discrimen.

Oremus et in

36. Quocirca, reverendi Patres et Fratres ca-

rissimi, monitis meis ex hac caritate profectis, quaeso, in spiritu caritatis utimimi ; et si quid vobis proderunt, hanc mihi rependite mercedem, ut pro me quoque oretis, qui vos cotidie Deo commendo. Quin immo omnes assidue oremus pro invicem, secundum Apostoli consilium. Ecce Societas nostra, licet per orbem late dispersa, cotidie in spiritu iungitur, et coram caelesti curia, dum communes quas dicimus litanias recitat, universa se sistit. Non prolixa quidem precatio illa est, sed cotidiana, sed quae a multis sociorum milibus funditur, sed quae in omnem se versat partem, ut fructuosissima esse possit. Ibi una voce misericordiam et peccatorum veniam semel, iterum, saepius a Domino imploramus; beatissimam Virginem nobis apud Deum adiutricem plurimis nominibus invocamus ; Angelis deinceps ac Sanctis omnibus, ut pro nobis orent, diu ex ordine supplicamus ; ac demum tanto freti intercessorum numero, maiora quaeque mala humiliter deprecamur, excellentissima bona nobis aliisque deposcimus ; utque exaudiri certius mereamur, per augustiora nostra redemptionis mysteria obsecrando decurrimus. Quid sanctius quidve ad impetrandum efficacius, dummodo cum vocis sonitu intentio mentis et fervens cordis affectus coniungatur ? Scimus autem quantopere Deus communia respiciat, et obsequiis constantibus quantumvis parvis delectetur. Ac Dominus noster Iesus Christus, qui dixit : *Ubi sunt duo vel* Matth. 18, 20.

Deum speremus.

tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, aderit profecto tam multis suorum milibus, quos ad maiorem sui nominis gloriam propagandam, in Societatem suam misericorditer ipse congregavit. Quod ut fiat, ardenter opto; et me vestris, reverendi Patres Fratresque carissimi, sanctis sacrificiis et orationibus valde commendo,

Romae, XXVII Decembris, M. D. CCC. LXV.

Vestrum omnium servus in Christo,

PETRUS BECKX.

P. S. Ad Patres et Fratres Soc. Ies. universos.

In animo mihi erat, reverendi Patres et Fratres in Christo carissimi, praesentem epistolam per PP. Procuratores domum revertentes in provincias mittere; verum morbi, quo divina bonitas me visitavit, reliquiis impeditus intentum absolvere non potui. Eam nunc vobis transmitto : bono animo eam accipite, et non obiter, sicut non raro accidit, sed attente legite, et quae legistis pia mente recolite, ut fructum ex ea quem abundantissimum cupio percipiatis. Valete.

Romae, in festo Purificationis B. M. Virginis M. D. CCC. LXVI.

PETRUS BECKX.

EPISTOLA

R. P. N. PETRI BECKX

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE REFUGIO IN SACRATISSIMO CORDE IESU QUAERENDO

1. Semper quidem *qui praeest*, ut ait Apostolus, *in sollicitudine* vivit; nos autem, ut probe nostis, carissimi Patres et Fratres, iam pridem propter adversa locorum et temporum in quibus degimus multam sollicitudinem et angustiam sustinemus, siquidem divinae providentiae nondum placuit ut exoptatus ille dies illucesceret, quo ab assiduis afflictationibus recreemur; quinimmo si mundi condicionem consideramus, nova mala iam sentire coepimus, et alia merito timere nos posse videmur. Itaque inter diversas calamitates quibus Societas nostra multis in locis affligitur, atque ob suspensam futurorum eventuum exspectationem, qui animum identidem angunt, nihil magis mihi aeque ac vobis enitendum est, quam ut humili corde et in spe caelestis auxilii firmiter persistentes, ad ostium divinae clementiae et

Rom. 12, 8.

Quoniam novae calamitates pertimescendae, persistamus in spe caelestis auxilii,

misericordiae sine intermissione pulsemus, eique vim quodammodo inferamus, regium psalten imitati, qui omnimoda invictae fiduciae exempla ubique nobis suppeditat. Neque in tanta rerum publicarum obscuritate et inconstantia humanis rationibus scrutari debemus undenam optatum auxilium aut quomodo venturum sit; nam timidae sunt mortalium cogitationes et incertae providentiae nostrae; sed potens est Deus in cuius bonitate confidimus, ex quacumque tempestate nos eripere, et ipse profecto precibus servorum exoratus propitius aderit et imperabit *ventis et mari, et* fiet *tranquillitas magna.*

Matth. 8, 26.

et confugiamus ad Cor SS. Iesu, miserationis plenum,

2. Me quidem, reverendi Patres Fratresque carissimi, in hac tam ancipiti rerum publicarum commotione, mirum in modum erigit et consolatur eius sanctissimi Cordis cogitatio, cuius sunt illae voces caelestis dulcedinis et caritatis plenae: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* Nostis enim quam tenero miserationis affectu omnes afflictos complecti et miris modis iuvare et recreare consueverit. Ex hoc divino Corde prodierunt illa misericordiae sensa, quae totiens pia meditatione commentati sumus: *Misereor super turbam*, et numquid non saepe in nostris angustiis huius misericordiae effectus sumus experti? Ipse est Iesus, qui dum in terris versabatur, *pertransiit benefaciendo*, et ascendens in caelum intercessurus pro nobis, non reliquit nos *orphanos* in terris; sed nobiscum se esse futu-

Matth. 11, 28.

Marc. 8, 2.

Act. 10, 38.

Ioan. 14, 18.

rum promisit *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. Hinc etiam pridie quam pro nostra salute pateretur, augustissimum instituit Sacramentum, ut in hoc mysterio immensam divini sui Cordis caritatem contemplantes amore et fiducia inflammemur et apud eum auxilium quaeramus in omnibus necessitatibus nostris. Matth. 28, 20.

3. Cor Iesu patet nobis, carissimi Patres et Fratres : ad hunc igitur inexhaustum bonitatis fontem nos quoque magna cum fiducia accedentes, supplici voce clamemus : *Salva nos, Domine Iesu, perimus* ! Adiuva nos quoniam tui sumus ; nam sub umbra nominis tui congregasti nos, ut te sequamur et tuis mandatis inhaerentes opus tuum perficiamus. Nec ambigendum nobis est quin preces nostras clementer sit excepturus, praesertim si toto corde nos ei devoveamus, et plena fide meminerimus quam ampla pollicitus sit beneficia iis omnibus qui ad sanctissimum eius Cor pie fidenterque confugerint, ac speciatim nobis, quibus bonitate prorsus ineffabili devotionis huius propagationem commendare dignatus est. Quapropter in tantis nostris angustiis et mundi periculis, ad sanctissimum Cor Iesu tamquam ad concreditum nobis thesaurum et certissimum in omni afflictione refugium devote conversi, ab illo salutem, incolumitatem, pacem ac quicquid nobis, toti Societati, et Ecclesiae universae in votis est, nihil fide haesitantes, postulemus et exspectemus. oremusque confidenter, Matth. 8, 25.

tum privatim singuli, tum omnes communiter.

4. Hoc omnes quidem, tum in sacrosancto Missae sacrificio tum in ceteris orationibus, pro sua quisque devotione praestare poterunt et sine dubio iam praestant ; attamen aliquid communiter quoque praescribere visum est, quo coniuncta plurimorum oratio facilius impetret quod omnes pariter exoptamus et petimus.

Quaedam praestanda in hunc finem.

5. Cupio igitur ut in omnibus collegiis et domibus Societatis usque ad finem futuri mensis decembris (nisi aliter praescribatur) qualibet sexta Feria, loco et hora opportuna, augustissimum Sacramentum nostrorum adorationi exponatur et preces aliquot in SS. Cordis honorem recitentur et post eas benedictio cum Sanctissimo detur. Cotidie vero in litaniis communibus ter *Pater, Ave* et *Gloria* eiusdem SS. Cordis orationi addatur ad eam intentionem, ut omnes ex tribulationibus et angustiis quibus circumdamur incolumes evadamus, ut in unum restituti ac dissipatis quae timemus periculis, quietam et tranquillam vitam secundum instituti nostri rationem et ad maiorem divini nominis gloriam agere tandem possimus. Sacerdotes autem singulis hebdomadis unum sacrum, et qui non sunt sacerdotes unam coronam B. M. V. ad eandem intentionem SS. Cordi Iesu offerent. Si qui sacerdotes impediti fuerint, per intentionem secundariam in Missa vel per alias preces suppleant. Et quoniam, testante Spiritu sancto, *bona est oratio cum ieiunio,* supplicationibus nostris iungamus opera paenitentiae,

Tob 12, 8.

quae superiores poterunt iniungere vel quisque cum eorum consilio pro sua devotione assumere. Omnes autem et singuli pro amore quo Societatem amant, per has et alias preces et pietatis exercitia in eundem finem conspirent, et Cor sanctissimum ad misericordiam flectere studeant.

Denique insistamus exercitio virtutum.

6. Hae autem omnes preces et piae exercitationes instar memorialis nobis sint, quo assidue excitemur ad eas virtutes maiore quo possumus studio excolendas, quibus sacratissimum Cor maxime delectatur : cuiusmodi sunt, praeter tria religionis vota, humilitas et caritas totiens in evangelio commendatae. Morum autem emendatio et renovatio spiritus pignus nobis et exauditionis erit, teste B. Ioanne Apostolo, cuius haec sunt pulcherrima verba : *Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum ; et quicquid petierimus, accipiemus ab eo : quoniam mandata eius custodimus, et ea quae sunt placita coram eo facimus.*

1. Ioan. 3, 21, 22.

Commendo me SS. SS.

RR. PP. et FF. CC.

Romae, XXVIII Augusti, M. D. CCC. LXX.

Servus in Christo,

PETRUS BECKX.

EPISTOLA

R. P. N. PETRI BECKX

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE RATIONE MODERANDAE VITAE

ET DE CAUSIS SOLACII IN CALAMITATIBUS ECCLESIAE AC SOCIETATIS

Scribendi occasionem praebent

1. Optavi iam dudum, reverendi Patres et Fratres in Christo carissimi, in tanta temporum quae modo vivimus iniuria et acerbitate, saltem per litteras cum praesens non possim, solacium aliquod vobis afferre, atque ad constantiam in tolerandis adversis et ad fidelem in Dei famulatu perseverantiam vos incitare. Verum partim negotiorum pondere et multitudine, partim incommoda valetudine, partim etiam diversis gravissimisque quibus Societas nostra affligitur malis, factum est ut propositum ultra quam optaveram differrem. Sed ea est iam temporum condicio, ut aliquam sensuum communicationem ipsum officii mei munus, nedum ea quam omnium gero cura et sollicitudo, is quo omnes amplector amor, omnino exposcere videatur. Consueverunt

certe decessores mei, cum gravior aliqua procella Societatem nostram vexaret, fratres omnes litteris paterno amore plenis alloqui, quibus consolatio exhiberetur vicissim et reciperetur, atque omnes ad aspera quaeque forti animo perferenda erigerentur. Quin, hoc ipsum argumentum persequens et ipse paucis abhinc annis, quae mihi divina bonitas suggessit de *spiritu quo adversitates ferendae sint*, vobiscum communicavi. Atqui sive consideremus calamitates quibus modo premitur nostra Societas, quin immo ipsa sancta Ecclesia, sive quas impendentes prospicimus, vix ulla aetas ab ipso Societatis ortu hac nostra infelix magis et aerumnosa fuisse videtur. Quod cum sit per se manifestum, necesse non est morari admodum in iis recensendis quae in omnium oculis sunt, quae frequenti sermone usurpamus, quaeque animum eo affligunt maerore ut paene nos opprimant. Summa tantum capita attingam, atque ab iis quae Ecclesia patitur initium ducam.

Pag. 102.

Ecclesiae calamitates.

2. Profecto, si hanc communem fidelium omnium Matrem spectemus, cui Societas nostra a parente sanctissimo ita est addicta ut ei unice vivat, in eius regno amplificando tota sit, eique studia, labores, vitas ipsas suorum devoveat ; hanc divini Agni Sponsam videmus modo aperta, modo velamine quodam falsae moderationis obducta, atrocissima tamen persecutione multis in locis oppugnari, eius auctoritatem proculcari,

doctrinam contemni. In hac ipsa Urbe, quae religionis sedes est princeps, ubi Patrum monumenta, ubi Martyrum reliquiae, ubi Petri cathedra, nihil est sanctum quod non profanetur, christianae veritates audacter negantur, sacerdotes probris opprimuntur, virgines Deo dicatae e suis domibus eiciuntur, adulescentes ab Ecclesiae disciplina arcentur, et latis legibus a sacra eius militia prohibentur, ut in exercitum plane alium, immo vero ab Ecclesia alienum conscribantur. Quid plura? Pontifex Maximus, per sacrilegum facinus beati Petri patrimonio spoliatus, novo captivitatis genere detinetur, per quod vix quicquam integrum illi est ad Ecclesiae regimen, vix aliud reliquum quam ut ad Deum preces fundat. Quae cum mente revolvo illud mihi subit Ecclesiastae: *Vidi calumnias, quae sub sole geruntur, et lacrimas innocentium, et neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiae, cunctorum auxilio destitutos. Et laudavi magis mortuos, quam viventes: et feliciorem utroque iudicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quae sub sole fiunt.*

Eccl 4, 1-3.

et Societatis insectationes;

3. Hisce publicis maeroris et luctus causis privatae succedunt et domesticae, quae nos eo afficiunt dolore, qui congruit amori quo Societatem complectimur; Iesu Societatem, inquam, qua in hoc mundo nihil secundum Ecclesiam potest esse nobis carius, nihil optatius; unde in nos tam multa profluxerunt et cotidie profluunt bona;

quae nos curis prope infinitis in omnem sanctitatem atque in aeternae beatitatis spem alit et fovet. Huius mihi cura divino consilio commissa illud efficit, ut singulorum vulnera et afflictiones tamquam proprias persentiam totiusque Societatis casibus gravissime afficiar. *Doleo, fratres*, vere dicam cum Cypriano, *doleo vobiscum... cum singulis pectus meum copulo, maeroris et funeris pondera luctuosa participo. Cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo, cum iacentibus iacere me credo... Immunis et liber a persecutionis incursu esse non potest animus,quia in prostratis fratribus et me prostravit affectus.* Etenim quaenam est iam Societatis condicio ? Quaenam, prope dixerim, eius pars aut a praesenti calamitate immunis aut futurae persecutionis timore soluta ? Hactenus quidem hic Romae, singulari Dei beneficio quod SS. Iesu Cordi acceptum referimus, e nostris domibus exturbati non sumus, sed ne exturbemur merito timendum in dies est. Extra Romam vero, in tota Italia praesertim, in Hispania aliisque in locis, nostis, Patres Fratresque in Christo carissimi, quo in statu res sint ; nostis, inquam, florentissimas provincias funditus disiectas ; nostis collegia, convictus, templa, cura et ministerio orbata nostrorum, atque in alios usus conversa, vel certe novis possessoribus concessa ; nostis bona direpta, nostis patres et fratres nostros aut in remotis provinciis exsulantes, aut quod non minus est dolendum, in dispersione sive apud suos sive apud extraneos

Lib. de lapsis c. 4.

viventes. Quod si in aliis Europae provinciis ad hunc perturbationis gradum res nostrae nondum sunt deductae, lamentari tamen debemus fere ubique Societatem vix tolerari, contumeliis et calumniis omnis generis passim dilacerari et multis de causis in suis ministeriis non parum impediri. Quid autem de Galliae provinciis dicam, quae prius belli taeterrimi deinde saeviora civilis discordiae damna pertulerunt, ut non modo penuriam, direptiones, contumelias, exsilium, carceres, sed et non nullorum e suis crudelissimam caedem tolerarint ? Possumne sine lacrimis commemorare quinque illos provinciae Franciae Patres, multis sane nominibus illustres, multis mihi carissimos et de Societate nostra optime meritos, quos labente Maio perditissimi homines, dura prius captivitate vexatos scelerata tandem occisione interfecerunt ? Quorum sanguine tam gloriose fuso utinam calamitates nostrae finem habuissent ! Verum et in Gallia neque animi deferbuisse neque incendia ita videnter esse sopita, ut securos in posterum esse nos liceat. In Italia autem, maxime in dicione Romana, fortasse non nisi initia malorum vidimus et quousque gliscentes flammae processurae sint ignoramus. Quin immo si calumnias et omnis generis dicteria, quae cotidie in liberculis atque ephemeridibus divulgantur et nefandis imaginibus ad ludibrium publice exponuntur, si haec et similia perspicimus, si denique in tota Europa mican-

tes scintillas et propre erumpentes in ignem et vastitatem spectamus, incerta quadam et multo molestissima ingruentium maiorum calamitatum exspectatione, merito sollicitos et in angustias adductos nos esse nemo prudens mirabitur.

unde vita eius interior periclitatur,

4. Hanc Societatis condicionem sane luctuosam dum considero, alia se mihi prodit longe acerbior et penitior doloris causa, quam libentius silentio praeterirem, ne animis vestris incumbentium malorum pondere gravatis novas e futuro aegritudines accerserem, nisi in comperto esset, alios sane multos in Societate, praesertim antiquiores et diuturna rerum nostrarum experientia edoctos, hac eadem futuri provisione plurimum commoveri ; quibus, uti arbitror, ipsa aegritudinis ac doloris consociatio non nullius solacii loco erit. Quamquam ne haec quidem potissima loquendi ratio mihi est ; sed, quoniam agitur de re quae magnam partem in nostra facultate sita est, officii necessitate impellor ad eam vobiscum communicandam, quam diu consulendi locus datur, quam diu communi studio et zelo coniti et efficere Deo favente possumus, ne frustra lugendum aliquando sit evenisse quod nunc metuimus. Illud igitur quam maxime doleo, externas illas quas recensui calamitates, ad nostram ipsam interiorem vitam pertingere : unde summopere vereor, ne nobis quodammodo nervos recidant, nosqne impediant quominus in duplicem quo spectamus ex instituto vocationis nostrae

finem, alacriter, ut oporteret, contendamus.

ab inertia et libertate.

5. Utque ab ea finis nostri parte ordiar quae proximos respicit, ex collegiis exclusi, a cathedris amoti, prohibiti a templis, qua tandem ratione nostri homines et universim et stabiliter animorum salutem procurent ? Equidem novi, non sine animi mei consolatione, plerosque eorum qui in dispersione sunt, non inertes hac in re se habere, et qua privatim docendo, qua ministeria apostolica exercendo, quantum locorum, temporum et virium ratio patitur, in animarum salute procuranda operam ponere. At quisque videt hoc longe distare ab eo, quod et operis praestare et fructus percipere nostri homines valeant et soleant, integra Societate et libere ac bene constituta. Videlicet, ut aliqua utar similitudine, longe aliud est plenam segetem in agro Domini collectis omnium viribus excolere, aliud vero paucu-las spicas passim dispersas singillatim decerpere. Ubi et illud addendum quod, cum talis agendi ratio cum proximis non raro unius cuiusque arbitrio permissa sit, timeri iure potest ne efficacitate illa destituatur quae, iuxta modum agendi proprium Societatis, praecipue derivatur ex immediata designatione superiorum, et consequenti oboedientiae merito insigniter adiuvatur. Huc accedit quod, quam diu Societas pacate ac quiete in suis domibus degit, nemo ferme est, si aegrotos excipias, qui utilem operam in aliqua re sive domi sive cum proximis impen-

dere, et acceptum a Deo talentum, qualecumque demum illud sit, in commune bonum conferre nequeat. At dispersio, et si quid est dispersioni non admodum absimile, non paucos paene inutiles reddit et ad tristissimum otium ablegat, eo quod extra communem vitam e domo religiosa eiecti, nec iis exciti stimulis quos ipsa loci religio cessantibus adhibet, aut plane non habent, aut non habere sibi videntur in quo se utiliter exerceant. Si quis autem otio indulgere aliquando assuescat, quam difficulter ad operosam illam et laboribus exercitam vitam, quae Societatis propria est, revocabitur!

Tempus impendendum in comparatione doctrinae,

6. Timeo igitur ne vitio illi, a quo tam sollicite sanctus Pater cavere nos voluit, quodque a domibus nostris ablegatum omnino esse iubebat, per hodiernas calamitates infelix ostium aperiatur. Hanc porro ab assuetis nostris laboribus cessationem, aliud incommodum sequitur quod non mediocrem inicit futuri damni praesensionem. Periculum nimirum adest ne Societas magna saltem ex parte orbata exsistat iis viris, nedum mediocriter excultis, sed et insigniter doctis, et in quovis eruditionis genere diuturno labore et usu perfectis et consummatis, quibus opus habet ad negotia divinae gloriae strenue ac feliciter pertractanda. Ex una enim parte plerisque nostris eripitur occasio et facultas se exercendi perficiendique in iis disciplinis quas excolendas sus-

ceperant, et quibus sperabant fore ut aliquando Societati et Religioni utiles exsisterent ; ex alia vero, etiamsi nec occasio deesset nec facultas, maximo est impedimento tanta rerum omnium perturbatio, dum alii ex aliis rumores spiritum distrahunt, dum rei publicae commotio et futurorum exspectatio animum enervant, mentemque in una re vix conquiescere patiuntur. Fieri autem hic nequit, ut quae mihi scribenti, non et vobis eadem legentibus cogitatio suboriatur : nimirum quidnam consilii sit capiendum adversus eiusmodi incommoda, quibus non sponte obiecti sumus, sed quam maxime inviti laboramus. Qua in inquisitione sane ardua et salebrosa cuius tamen necessitatem omnes sentiunt, in primis suppliciter exorandus est Deus, ut det nobis *spiritum cogitandi quae recta sunt propitius et agendi*; ne aut difficultates obiter expendendo *evanescamus in cogitationibus nostris*, aut querelis nihil profuturis plus aequo indulgentes animum abiciamus. Deinde praepositorum prudentiam et zelum opportune et importune excitare ipse non desinam, ut etiam atque etiam apud se commententur et cum prudentioribus deliberent quidnam ab ipsis hic et nunc praestari possit, ut subditi adiuventur et dirigantur, utque in spem posteri temporis iam nunc studia et labores quantum possunt praeordinent ; idque praesertim cum singulis paterna prorsus caritate agant. Tum reliquos omnes rogo et obtestor, ut quo impeditiorem nunc moderato-

Orat. Dom. 8. Pentec.

Cf. Rom. 1,21.

rum providentiam cernunt, eo singuli promptius et libentius iisdem obsecundent, ac simul apud semet ipsos cogitent quantum cuiusque privatim, quantum Societatis universim intersit ut hoc magnae tribulationis tempus quam fructuosissime impendant, severiorum studiorum consuetudinem, optimam spiritualis vitae adiutricem et in hac nostra vocatione pernecessariam, tamquam pretiosissimum thesaurum exercitatione conservent, denique solidam eruditionem tot laboribus acquisitam cotidianis accessionibus quantum possunt amplificent, ad maiorem Dei gloriam, cum primum sese occasio obtulerit, vel nunc vel in posterum expendendam, aut certe a clementissimo Domino, qui voluntatis affectum ponderat, cumulata mercede remunerandam. Curent autem patres dispersi, ut in aliqna certa re singuli animum figant, seque ipsos assidue in eadem excolant et perficiant ; sine quo communem Societatis existimationem, quae ad gloriam Dei tantum refert, pro sua quisque parte tueri vix poterunt. Etenim plane video in hac misera rerum condicione vix alium nobis suppetere providentiae modum, quam singulos exhortari et obsecrare ut ipsimet quod rectum est velint, et serio atque constanter velint. Sic enim, et non aliter vinci difficultates poterunt, quae magnae et multiplices in dispersionibus, praesertim amplis et diuturnis, undequaque oboriuntur. Unus, inquam, operosioris vitae amor, unum proprii communisque boni studium efficiet

ut abiectis quae sese obtrudunt futtilibus lectionibus aliisque saecularis vitae evagationibus, modoque imposito qui religiosum virum deceat, honestis solaciis, animus propositi memor ac tenax cotidie a semet ipso viriliter exigat quae a bono Societatis filio intra domesticos parietes vigil moderatorum cura merito requireret.

et in studio perfectionis.

7. Haec porro, quae de religioso temporis usu deque scientifica animi cultura hactenus dixi, multo magis de religiosae perfectionis studio intellegenda sunt, in quod ita semper et toti debemus incumbere, ut inde potissimum sincere Societatis filii distinguantur et probentur. Nimirum multae nobis difficultates, multa cum in nobis ipsis, tum extrinsecus deficiendi pericula occurrunt; quare, ut sancti fundatoris verbis utar, nunc maxime *omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod divina gratia consequi possimus, in absoluta omnium constitutionum observatione, nostrique instituti peculiari ratione adimplenda, praetermittamus.* Alioquin timendum plane est, ne in hac temporum iniquitate omnis pefectionis studium, dum non leves offendit difficultates permultisque adminiculis destituitur,tandem quasi rigente bruma refrigescat.Quantum momenti ad omnem disciplinam et virtutum exercitationem collocatum sit in ordine domestico et in religiosae vitae consuetudine, nemo non sentit. Duo tamen haec magnum accipere hisce temporibus detrimentum, et video et summopere

Const. p. V. c. I. § I.

doleo. Unde etiam timeo, ne sanctioris disciplinae relaxatio, vix deinde reparabilis, inducatur. Doleo dispersos, invitos licet et necessitate quadam compulsos, magna religiosarum observationum parte destitui, ac vereor ne illas sensim dediscant et paene obliviscantur, ita ut silentii, modestiae legumque domesticarum paene rudes aut incurii evadant. Doleo eos a Superiorum nutu et oculis remotos paulatim oboedientiae consuetudinem intermittere, et cuidam vitae generi assuescere quae magnam partem sui iuris sit ; unde periculum oritur non leve ne mortiferam falsae libertatis auram, letali quadam contagione toto orbe diffusam, sensim hauriant, eiusque virus in medullas ipsas Societatis deinde insinuent. Doleo eos ministeria Societatis gratis exercere non posse, deque corroganda pecunia proinde fieri sollicitos ; unde non immerito timendum est ne paupertas, murus ille religiosae vitae firmissimus, concutiatur et fatiscat. Haec, inquam, et doleo et timeo de iis qui extra nostras domos permolesta nunc necessitate detinentur. Quid vero si sensim in dies necessitas ista minus fieret gravis ? Quid si vita haec solutior, quae ante fastidio fuerat, paulatim non iniucunda, tandem cara et amabilis ipsis evaderet ? Nonne vidimus ipsi, nostrorum eiectioni e suis domiciliis ac dispersioni non semel morum religiosorum ipsiusque vocationis iacturam successisse ? Quam multa sibi non pauci fortasse indulgent, a quibus iidem alias religiose abstinuis-

sent ! Quam multa moderatores ipsi aut necessitatis specie permittunt, aut coniventia quadam quae videtur tempori et aequitati consentanea dissimulant ! Experientia porro testis est, religiosas consuetudines quacumque demum de causa omissas aut laxatas aegerrime deinceps redintegrari. Si enim, dum vigent et cotidiano usu aluntur et roborantur, sine vigili cura custodiri nequeunt, quod ipso naturae pondere in laxitatem nec advertentes inclinamur ; quis non intellegit quam operosum et grave futurum sit easdem oblitteratas revocare ?

Qui periculis occurrendum ab iis qui domi sunt,

8. Et quoniam tristissima haec quae metuo mala commemoravi, non possum quin superiores, quotquot sunt, enixe obsecrem, ut sedulo caveant ne, dum ea indulgent quae necessitas postulat vel religiosa suadet caritas, in perniciosam facilitatem fiant proclives ; unde legum nostrarum existimatio et reverentia sensim imminuatur, paupertas laxetur, gubernandi ratio in mollitiem abeat, et ita demum tota nostri ordinis disciplina perturbetur. Ut vero tantum malum a nobis et a Societate universa avertatur, vos omnes, Patres et Fratres carissimi, per Iesu Christi amorem rogo, ut quo infestius nostrae Societati bellum indicitur, eo pressius eidem adhaereatis, eo sanctius eius leges servetis et eo religiosius eius disciplinam tueamini. Discutiamus itaque vitae nostrae tenorem, et videamus num quid maculae sit, quae Deo displiceat

quaeve etiam proximorum oculos offendat. Multa in nos congeruntur hisce temporibus dicteria, multa tum voce tum scriptis edita sparguntur in vulgus. Scio utique veteres repeti calumnias, scio falsas proferri accusationes. Sed quis vetat ne nos inde ad maiorem in agendo prudentiam excitemur, et quisque nostrorum occasionem sumat investigandi accuratius actiones suas, et cognoscendi an quidpiam sit, sive in factis sive in verbis suis, quod ansam praebeat malevolis ad Societatis famam proscindendam? Parvi etiam privatorum defectus saepe redundant in detrimentum totius multitudinis. Hoc autem quod aliis hominum coetibus aliquando evenire solet, erga nostrum ordinem, nescio qua condicione, usitatissimum est. Pro eo igitur amore quo complectimur Societatem Iesu, oro vos atque obtestor, Patres Fratresque carissimi, ut in medio nationis pravae ac perversae ambulantes, immaculati et sancti coram Deo appareamus et simus, nullam, quantum fieri potest, habentes maculam, nullam rugam, quae nos a maiorum nostrorum sanctitate et integritate degeneres ostendat. Vivamus autem ita Deo coniuncti et in assiduam virtutum exercitationem intenti, ut qui ex adverso sunt vereantur malum dicere de nobis.

et ab iis qui sunt extra domos.

9. Atque haec, quae omnibus commendata esse debent, praecipue vobis dicta esse cupio, Patres Fratresque carissimi, qui in dispersione versamini. Vobis, inquam, quos procellae furor e

portu religionis nolentes avulsit atque in medios saeculi fluxtus eiecit. Lugeo sane condicionem vestram, et nihil est quod facere aut eniti non sim paratus ut inde vos eripiam, nihil quod non desiderem in hunc finem a superioribus praestari. At certum hoc vobis ratumque sit, tum eam longe gravissimam et plane lacrimabilem fore, cum ipsa vobis forte inceperit non displicere. Oculos igitur in quietem religiosae consuetudinis convertite, hanc adamate, hanc concupiscite, desiderium vestrum hac solantes conscientia, quod adhuc Societatis filii estis et a sinu matris sola necessitate, quam superiores agnoverint et probaverint, ad tempus arcemini. Interea, donec optata reditus dies adveniat, testimonium matri amantissimae praebete bonum, conversationis habitusque modestia, morum puritate, mundanarum rerum contemptu, divinae gloriae ac sempiternae animarum salutis studio : denique, ut omnia brevi perstringam, leges et consuetudines nostras, quantum fieri potest, sancte custodite, illud salvatoris nostri semper prae oculis habentes : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est.*

Matth. 5, 16.

Erigendus animus fiducia in Deum,

10. Sed satis iam de causis maeroris nostri, quarum utcumque acerba deploratio (sic enim natura comparati sumus) pars est aliqua consolationis. Habemus luctus praesentis causas gravissimas, habemus trepidam et anxietatis ple-

nam futurorum praesensionem. Quid autem ? an abiciendus proinde est animus ? aut non aliud suppetit doloris lenimem quam misera conquestio ? Haud ita sane, Patres Fratresque carissimi ; sed est cur magna cum fiducia et grato animi sensu Apostoli verba usurpemus : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra ; ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo.* Benedictus, inquam, Deus, cui profecto est ut gratias habeamus et referamus quam maximas, qui tot inter tamque acerbas aerumnas ea nos dulcedine perfundit, eas nobis solidissimae consolationis causas praebet, ut possimus et nos *superabundare gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Cor. 1, 3-4. 2. Cor. 7, 4.

qui mala permittit in bonum Ecclesiae :

11. Ut autem de Ecclesia primum dicam, in cuius oppressione primam eamque gravissimam maeroris causam collocavi, nonne maximum doloris quantumlibet luctuosi levamen est persuasio certissima, quam ex fide habemus, eam ita regi divino consilio, ita caelestis sponsi amore vigilantissimo custodiri et foveri, ut nihil ei umquam contingere possit quod in eius commodum et gloriam tandem non vertat ? Hoc ipsum igitur taeterrimum bellum quo impetitur, haec arma quibus oppugnatur, haec vulnera quibus proscinditur, comparata sic sunt, ut non modo exitus Ecclesiae faustus felixque exspectandus sit,

sed etiam conflictatio ipsa et casus omnes hoc medio tempore incidentes, quamvis humana aestimatione adversi, tamen in eius utilitatem, Deo scilicet omnia dirigente, sint demum cessuri. Aliter enim de Ecclesia universe, aliter de singulis eius membris existimandum est. Horum non pauca suo vitio corrupta fortasse exscindentur et misere peribunt; at ipsa medio in certamine roborabitur atque e conflictu pulchrior ac splendidior prodiens iterum dabit se in lucem gentium et in salutem populorum. Nec dubius dixerim: ipsam hanc humani et divini iuris eversionem convicia et contumelias, quae adversus sacerdotes, Pontificem Maximum, caelites Sanctos, Deum ipsum horribili impietate evomuntur; nefanda errorum portenta, quae disseminantur in vulgus et animis adulescentium instillantur, eo consilio ut fides catholica stirpitus evellatur; immo vero ipsam impudentissimam atheismi professionem, qui propalam praedicatur: hanc tantam scelerum molem, quam sic deploramus, ut nedum ab eius aspectu sed et ab eiusdem commemoratione animus refugiat, cum se Dei permittentis nutui subtrahere non possit, divinae providentiae moderamini subesse eiusque instrumentum fore in praeclarum aliquod Ecclesiae bonum, sicut olim in passione Domini, *impiae furentium manus, dum proprio incumbunt sceleri, famulatae sunt Redemptori.* Impervius certe nobis est modus, quo id futurum est; sed rem

S. Leo. serm. in Do mPalm

non aliter se habere fides docet, atque hanc semper fuisse Ecclesiae condicionem confirmat historia. Nam quae fuit eius aetas, quod tempus ab aerumnis, a contumeliis, a persecutionibus, a suppliciis, a cladibus, a quocumque demum insectationum genere vacuum? Nonne horum quae videmus similia, multoque his atrociora perpessa est Ecclesia ab Iudaeis primum, deinde ab ethnicis, tum ab haereticis, a barbarorum incursionibus, ab intestinis christianorum factionibus, demum ab illis, qui, philosophorum sibi nomine arrogato, propositoque impietatis vexillo, tot malorum auctores humano generi exstiterunt? Nihil igitur Ecclesia novum, nihil insolitum nunc patitur, et sicuti calamitatum vel insectationum occasione praeteritis aetatibus triumphum egit, ita et praesentium malorum occasione triumphum aget, eumque tanto gloriosiorem, quanto atrocior est contra eam insectatio.

12. Divina quidem consilia nobis inaccessa sunt, *non enim cogitationes meae*, inquit Deus, *cogitationes vestrae: neque viae vestrae, viae meae; quia sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris, et cogitationes meae a cogitationibus vestris.* Quae sane verba prae oculis haberi semper velim, quotiens in mentem venit decreta divinae providentiae humano modulo aestimare. Egregias nihilo minus utilitates, quas praesentium malorum permissio Ecclesiae parat, iam nunc, ex parte saltem, coniectura assequi licet. Et sane

cuius rei iam nunc indicia non desunt.

Is. 55. 8-9.

nonne magnum Ecclesiae emolumentum est manifesta bonorum ab improbis separatio : quorum agmina ita temporum condicio seiungit et committit in proelium, ut hi quidem, larva abiecta, ex insidiis prodeant et omnem impietatem perfricta fronte profiteantur ; illi autem occultare se amplius nolint, et religionem sanctissimam non modo confiteantur palam, sed et voce et scriptis et omni factorum genere magno animi ardore et insigni constantia tueantur ? Nonne maximum Ecclesiae bonum est sancta illa precum coniunctio, in quam quotquot sunt toto orbe diffusi catholici mirifice conspirant, ita ut, quandoquidem *Petrus* rursus *in carcere servatur*, rursus *oratio*
Cf. Act. 12, 5. *fiat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo ?* Profecto non nisi Deus, Ecclesiae suae sponsus et amator tenerrimus, *spiritum* hunc
Zach. 12, 10. *gratiae et precum super domum David et super habitatores Ierusalem* effundit ; eum vero tunc effundere solet, cum maxime est ad clementiam propensus, ut nullum sit propinqui beneficii certius indicium, quam ipsum precandi studium. Sed divinus ille instinctus, qui ad deprecandum excitat, idem catholicos ad Romani Pontificis et sanctae Ecclesiae defensionem mirabili commotione impellit. Quae umquam aetas vidit quod oculis obiectum est nostris ? Ubique gentium nempe catholici, iniuria Pontifici et Ecclesiae illata, perinde ac propria et privata, commoventur ; hinc indignari, concursare, conve-

nire, proculcata iura conqueri, stipem conferre, suos quisque principes et moderatores appellare, ut ius instaurent utque iniuriam ulciscantur exposcere. Quam mira animorum coniunctio! Qualis membrorum conspiratio! Quanta cum capite consensio! Magni isti motus, magnos suo tempore effectus progignant necesse est, adeoque in pugna ipsa victoriae indicia licet deprehendere, non secus ac in brumae squalore, ex abditis seminibus erumpentis viriditatis laetitiam praenoscere licet.

13. Haec Ecclesiam in universum spectant: aliquid iam attingam de luctu mitigando quo propria Societatis damna prosequimur. Talis quidem aegritudo, privata quippe et domestica, cum nos intime percellat, non eas videtur habere conspicuas consolationis causas quas modo exposui. Quid igitur? Nullumne nobis, Patres Fratresque carissimi, in tot ac tantis maeroris argumentis solacium suppetit? *Benedictus Deus*, clamabo iterum cum Apostolo, neque aliunde consolationem quam ex ipsa afflictionis natura ducam. Centies videlicet legimus, et ad consolandos alios enarravimus quae de afflictionibus, quaecumque demum sint, divinae litterae disertissime docent. Unde intellegimus, hisce Dei cultores ita omnes probari, ut eorum nemo umquam fuerit ab hac lege exemptus. *Tentati sunt patres nostri*, aiebat Iudith, *ut probarentur, si vere colerent Deum suum... Pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est. Sic* Iudith 8,21-23.

Laetandum nobis est in tribulationibus quas patimur:

Isaac, sic Iacob, sic Moyses,et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Ad haec monemur, eas esse certissimum singularis Dei benevolentiae indicium, prout Angelus Tobiam
Tob. 12. 13. docuit, dicens : *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.* Docemur insuper, his germanos filios ab adulterinis distingui, scribente Domino per Apostolum : *Fili mi, noli neglegere disciplinam Domini ; neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat ; flagellat autem omnem filium quem recipit. In disci-*
Heb. 12, 5-8. *plina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus : quis enim filius quem non corripit pater ? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri, et non filii estis.* Quid plura ? Iubemur etiam tribulationes, non ut maeroris et luctus causas habere, sed gaudii atque
Iac. 1, 2. laetitiae : *Omne gaudium existimate, fratrés mei, cum in tentationes varias incideritis.* Quare beatitatis particeps ducendus est,quem aerummae, convi-
Ibid. 12. cia, dolores insectantur : *Beatus vir, qui suffert tentationem... Beati estis, cum maledixerint vobis, et*
Matth. 5, 11, 12. *persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos,mentientes,propter me. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Haec et horum similia paene innumera, quae passim in divinis litteris occurrunt, probe tenetis, nec est cur ego iisdem recolendis diutius immorer. Cum autem sit manifestum contumelias, direptiones, exsilia, clades, quicquid denique infestum

et acerbum Societati tolerandum est, *tentationis* nomine et appellatione contineri, consequens est haec omnia *beatos* nos efficere, nobisque Christum Dominum esse auctorem, ut de his quae secundum hominem tanta nos consternatione afficiunt, maximopere laetemur et gaudeamus. Cuius rei tam humano sensui contrariae, si quis rationem requirat, cur nempe tantum bonum ac tantam gaudii causam afflictio contineat, inter multa et praeclara unum attingam, quod instar omnium esse potest, similitudinem scilicet quam ipsa inducit cum Christo Domino, omnigenis doloribus ab ortu ad exitum confecto.

14. Et haec quidem cum Christo similitudo ita est expressa, ut in divinis litteris vir christianus qui adversa patitur, dicatur Christi passionum particeps, atque inde princeps Apostolorum nobilissimam ducat consolationem aiens: *Communicantes Christi passionibus, gaudete.* Iam vero si propter eam communionem, qua Christus et Ecclesia, quae corpus eius est, continentur, unusquisque ad Ecclesiam pertinens cum aerumnas tolerat, iure dicitur et cum Christo pati et Christi passionibus communicare; nonne potiore iure (confidenter enim dicam) idem de nobis affirmandum est, qui Christo capiti ac duci nostro per sacramentum professionis nostrae artiore sanctioreque vinculo coniungimur et in hoc totis viribus enitimur, ut Christi patientis imaginem exprimamus? Nihil certe minus vocationis nostrae

siquidem cum Christo patimur sicuti Ecclesia,

1. Pet. 6, 13.

ratio a nobis expetit: certissimum autem est et omnibus manifestum, nos hisce temporibus eo tantum nomine pati persecutiones, quod Christo et eius Ecclesiae addicti, pro utriusque honore et defensione dimicamus. Quod attente consideretis velim, reverendi Patres et Fratres carissimi. Quamvis enim Societas, quod maximum Dei beneficium est, artissime semper sanctae catholicae Ecclesiae ceu matri filia cohaeserit, eique se peculiari voto addictissimam praestiterit, tamen improborum hominum versutia aliquando factum est ut alterius causa ab altera seiungi videretur, et dum Ecclesia quodam simulacro dolosae quietis gaudere videbatur, Societas ingentibus tempestatibus quateretur. Quapropter potuit quandoque quis ambigere, utrum quae in nos odia flagrabant, e christianae religionis odio exardescerent ; neque est memoria nostra antiquius bellum illud nefarium Societati indictum simulato religionis ipsius nomine, cum veluti Ecclesiae ac civilis societatis osores, et Pontificis Maximi auctoritati reluctantes, atque in eum perfida coniuratione conspirantes vulgo traducebamur. Quae crimina licet incredibilia et a cordatis quibusque contemptui habita, molestissimum tamen addebant persecutioni cumulum, magnamque afflictis consolationis partem eripiebant. Nunc vero omnino aliter res se habet ; siquidem palam est universis et in luce meridiana positum, quinam sint Societatis osores,

quaenam odii causae, quinam denique eiusdem odii participes exsistant. Una nimirum eademque procella Ecclesiam et Societatem exagitat; qui sunt Ecclesiae hostes, iidem sunt Societatis inimici; quae causae ad oppugnandum Ecclesiam, eaedem ad exterminandam Societatem instigant; neque haec, obtentis aliis odiorum causis, ab inimicis nostri nominis dissimulantur.

quo nihil gloriosius et iucundius,

15. Iam vero quid gloriosius, quid ad cor dilatandum efficacius, quam pro Ecclesia pati, adeoque pati pro Christo, cuius corpus Ecclesia est? Quodnam aliud erat solacium, quaenam alia gloriatio Apostolis, dum verberibus conviciisque multabantur, quam eos dignos haberi *pro nomine Iesu contumeliam pati?* Itaque gloriosum aeque ac supra quam dici potest dulce nobis est, dignos esse nos habitos ut belli, quod postremis hisce temporibus in Ecclesiam susceptum est, ab inimicitiis contra nos excitatis initium duceretur, et in calumniis omnisque generis iniuriis ferendis primas veluti partes nosmet ipsi haberemus. Gloriosum iuxta et dulce est cum Romano Pontifice, qui Christi vices gerit, consortes esse calamitatis, eosdem habere hostes, eodem impeti congressu, iisdem armis; gloriosum denique et prisca Martyrum fortitudine dignum, fratres nostros pro nomine Iesu in Gallia fuisse comprehensos, contumeliis affectos, nefario parricidio mactatos. Atque illi

Act. 5, 41.

quidem immortale sibi beneficium a divina bonitate impertitum intimo grati cordis affectu agnoverunt, et verbis ac litteris saepius significarunt; verbis certe ac litteris divino eo spiritu plenis, quem martyres mox sanguinem pro Christo profusuros decuit. Illum inter ceteros commemorabo, qui cum extrema ignominia inter sicarios armatos ad mortem traheretur, oculis ad socium in itinere conversis eique subridens "*Ibant*, ait, *gaudentes*, „ significans videlicet, eodem se gaudio nunc, quo olim Apostoli, esse perfusum, sibique laetum supra modum videri diem quo pro Christo pati et vitam dare liceret. O vere genuinos Societatis filios! O non degenerem a magno Patre subolem! O *beatam* Societatem *nostram* (sic enim ad Societatem iuvat inflectere, quae de ecclesia Carthaginiensi beatus Cyprianus dixit), *quam sic honor divinae dignationis illuminat, quam temporibus nostris gloriosus martyrum sanguis illustrat!* Quicquid igitur in aerumnis nostris luctuosum est atque acerbum, immo quicquid crudele et contumeliosum, id si terrena caligine depulsa oculisque lumine fidei collustratis, ut par est, dispiciamus, pulchrum potius atque amabile et decorum apparebit, quando cum Ecclesia patimur.

Lib. 2. epist. 6 ad mart. et conf.

praesertim quod certa sit victoria.

16. Huius autem communionis fructus suavissimus est persuasio non dubia de victoria consequenda. Haec scilicet est condicio Ecclesiae, quacum in societatem passionum advoca-

mur, ut semper oppugnata numquam expugnetur, et nulla sit hostium immanitas, nulla vis armorum, quam virtute divinitus collata non ipsa subigat atque debellet. *Non cessat Ecclesia oppugnari et vincere*, ait Chrysostomus, *insidiis impeti et superare insidias. Quanto magis alii insidiantur, tanto magis illa augetur; fluctus dissipantur et petra stat immobilis.* Cum ergo persecutionis fluctibus iactamur, cum pondere calamitatum premimur, cum angimur ingruentium malorum praesensione, in exitum certaminis oculos convertamus et victoriae spe labores luctae consolemur. Quando haec adeo desiderata victoriae dies ventura sit, profecto ignoramus, neque nostrum est vel divini consilii tempora scrutari vel divinae bonitatis opera ad nostri desiderii normam exigere. Hoc uno contenti esse debemus, ut praeeunte Iudith *dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam.* At vero spes una victoriae aliquando certissime referendae incredibile affert in aestu pugnae solacium. *Multi* (ut cum Chrysostomo loquar mox in exsilium discessuro) *multi fluctus instant gravesque procellae, sed non timemus ne submergamur, nam in petra consistimus. Saeviat mare, petram dissolvere nequit; insurgant fluctus, Iesu navigium demergere non possunt. Quid, quaeso, timeamus? Mortemne? mihi vivere Christus est et mori lucrum. An, quaeso, exsilium? Domini est terra et plenitudo eius. An facultatum publicationem? Nihil intulimus in mun-*

Hom. de Chananaea.

Iudith 8, 17.

Hom. ante exsilium.

Phil. 1. 21

Ps. 23, 1.

dum, certumque est nos nihil hinc efferre posse; terribiliaque huius mundi mihi despectui sunt et bona eius risu digna. Ita se ac populum sibi commissum vir sanctissimus in adversa confirmabat. Nec eum sane exitus fefellit: quibus enim verbis abiturus populo suo valedixerat, iisdem reversus invicto animo et serena fronte populum est allocutus. *Quid dicam? aut quid loquar? Benedictus Deus! Hoc egressus dixi, hoc iterum profero, immo illic cum essem non intermisi dicere.... Sit nomen Domini benedictum in saecula.... Diversae res, sed una glorificatio. Pulsus gratias agebam, reversus gratias ago. Diversae res, sed finis unus hiemis et aestatis, unus finis agri felicitas.... Benedictus Deus qui tempestatem permisit; benedictus Deus, qui tempestatem solvit et tranquillitatem paravit. Haec dico, ut vos ad benedicendum Deo instituam. Bona contigerunt? Benedic Deo, et bona manent. Mala acciderunt? Benedic Deo et mala solvuntur.* Haec ille, quibus nihil sapientius, nihil christiano et religioso viro dignius. Faxit Deus ut nos etiam, cui aerumnas inter et lacrimas benedicimus, eidem, recuperata ordinis tranquillitate, benedicere valeamus. Interea, utinam sapienter faciamus de tentatione proventum! Utinam ab exiguae huius vitae amore liberi ad superna et aeternum mansura animum erigamus! Utinam ea, quibus corda etiam religiosa facile decipiuntur, gloriolae nempe illicia, commoditatum nugas, denique quicquid mundum sapit contemnentes, pietatem, animi demissionem,

Hom. post reditum a priori exsilio.

perfectionis studium unice magni faciamus et amemus! Utinam adversa aequo animo et erecto tolerare, quin et in deliciis habere, ut Ignatii filios decet, discamus et assuescamus!

17. Sed priusquam finem scribendi facio, placet egregia illa Petri Apostoli verba commemorare, quibus quid nobis in hac rerum fluctuatione praestandum sit, praeclare docemur: *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.* Si dolentes sentimus mala quae fiunt, frangi tamen animo nos minime decet. Quod a nobis fieri convenit ac plane oportet, illud est humiliari coram Deo, ut *humilibus det gratiam*, et nos exaltet in tempore visitationis. Subdit vero Petrus: *Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis.* Inutilem videlicet anxietatem abiciamus, neque inani coniectura divinare studeamus quid tandem de nobis futurum sit, quid de nostris domibus, templis, bibliothecis, bonis; quae nobis condicio praeparetur; quae auxilia praesto sint atque his similia ne cogitemus. Nos quidem, reverendi Patres et Fratres carissimi, quod nostri officii est, faciamus diligenter; quod ubi fecerimus, de nobis nostrisque rebus providentiam omnem Deo permittamus, immo quam promptissime omnem sollicitudinem proiciamus in eum, quoniam ipsi cura est de nobis. Quid, quaeso, his verbis suavius vel efficacius dici potest? Nonne ipse est *qui de tantis periculis nos eripuit et eruit; in quem*

Humilitas interim et fiducia in Deum necessaria;

I. Petr. 5, 6.

Ibid. 5.

Ibid. 7.

2. Cor. 1, 10.

speramus quoniam et adhuc eripiet? Talem habentes promissionem *nolite timere, pusillus grex*;
Luc. 12. 32. *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.*

cultus item peculiaris SS. Cordis Iesu, a quo bona omnia exspectanda.

18. Cum vero de spe fovenda animisque erigendis sermo mihi est, cohibere me non possum, Patres Fratresque carissimi, quominus verbis Apostoli vos adhorter, ut: *Adeamus.... cum fiducia ad thronum gratiae; ut misericordiam consequamur, et*
Heb. 4, 16. *gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Cor videlicet sanctissimi servatoris nostri Iesu Christi vobis ostendo, et ad illius amorem et cultum, quanta possum maxima animi contentione vos invito. O quantum exinde solacii, quantum auxilii sperare nobis licet! Quo impensius hunc amorem et cultum in nobis enutriemus et fovebimus, eo securius in tempore malo latebimus in hac *caverna maceriae*, eoque abundantius in nos manabunt
Isai. 12, 3. refrigerii *aquae de fontibus Salvatoris*, eiusque divino Spiritu replebimur; adeo ut, si huic sanctissimo Cordi nos omnino devoveamus, si in illo nostrum figamus domicilium, illud in nobis et de nobis eventurum sit, quod de se fatebatur Apostolus:
Gal. 2, 20. *Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.* Ille enim in nobis vivet, cuius sensa mentem voluntatemque nostram omnem possidebunt: atque ita nobis cum Christo caritate coniunctis eiusque virtute roboratis cum eodem Apostolo exclamare licebit: *Quis ergo nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fa-*
Rom. 8, 35-39. *mes? an nuditas? an periculum? an persecutio? an*

gladius? (*Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: aestimati sumus sicut oves occisionis.*) *Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors neque vita, neque angeli neque principatus neque virtutes, neque instantia neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.* Ecquis porro non miretur, quis non revolvat tenerrimo mentis affectu abundantissimam caelestium donorum copiam, quam Dominus Iesus sanctissimi sui Cordis cultoribus promisit, quamque nobis certo impertietur, si nos ex animo sibi devotos esse conspexerit? Ceterum de natura huius cultus deque charismatis quae illum consequuntur, vos apprime docti estis: illud hic unum addam, optare me vehementissime, ut quotquot in Societate vivimus quam maxime devoti huic sanctissimo Cordi simus, fidenterque in necessitatibus nostris ad illud gratiae caelestis sanctuarium confugiamus.

Cui proinde peculiari consecrationis actu placet Societatem dedicare:

19. Quapropter, quod in tanta temporum acerbitate communi solacio erit, multumque alacritatis et fiduciae inter adversa quae patimur vel timemus allaturum est, maxime cupio Societatem nostram totam divino illi Cordi, peculiari consecrationis actu, dedicare se ipsam ac mancipare. Quamvis enim nihil dubito, quin omnes Societatis filii hunc devotionis affectum habeant eumque religiose foveant; tamen, quia

mira est coniunctionis efficacitas in bono, quippe quam Christus saepe ac praesertim in ultima cena tantopere commendavit, erit procul dubio aeque pium et salutare, ut etiam per aliquem communem actum, qui sit quodammodo totius Societas vox, sacratissimi Cordis amori et cultui nosmet in perpetuum devoveamus. Ipsa porro temporis iniquitas nos impellit ut nullum omittamus obsequii genus, quod secundum spiritum nostrae vocationis salvatori nostro acceptum sit, nobisque in hac tribulatione auxilium impetrare possit. Quare Praepositos Provinciales et reliquos superiores instanter invito, ut praemonitis subditis ac pro opportunitate dispositis, nostri omnes primo die proximi mensis Ianuarii (quo die mysterium Circumcisionis D. N. I. C. recolitur, et ego hic Romae, Deo favente, Societatem universam peculiari consecrationis actu sanctissimo Cordi Iesu devovebo) eundem hunc amoris et devotionis actum una mecum cummuniter expleant. Eia, Patres Fratresque mihi carissimi ; dies quidem mali sunt, sed *in diebus peccatorum corroboremus pietatem* ; quo fiet profecto, ut omnia nobis per Dei gratiam cooperentur in bonum. Dulce sane memoratu nobis esse debet, quod amabilissimus dux noster Iesus, cum B. Margaritae Cordis sui cultum revelavit, eundem benignitate plane singulari Societati nostrae nominatim commendatum et commissum voluit. Qui ergo eximium hoc dilectionis suae pignus

Cf. Eccli. 49, 4.

Societati credere dignatus est, hanc certe obsequii et devotionis significationem ab eadem Societate vicissim oblatam pari recipiet benignitate. Praesertim quod gratissimum illi est fidei et amoris testimonium, ab iis acceptum qui propter nomen eius in tribulatione versantur. O felix nimium Societas, si hoc ei contingat, ut, quantum ab inimicis propter nomen Dei foris oppugnatur, tantum per uberioria SS. Cordis munera ditetur interius et proficiat in caritate! Quid enim aliud optamus, reverendi Patres Fratresque in Christo carissimi, quidve per hanc communem consecrationem efficere intendimus, nisi ut, temporum calamitatibus admoniti, artius Domino adhaereamus, atque in dies magis spiritu nostrae vocationis informemur? Hoc autem consequi haud aegre poterimus, dummodo, hac arrepta occasione, susceptas iam in votorum nuncupatione obligationes, et concepta totiens in spiritualibus exercitiis emendatioris vitae desideria, meditate recolentes et Christi amore confirmantes, confugiamus tandem ad Cor sanctissimum Salvatoris nostri, ibique *revelata facie*, hoc est dissipata mundanae vanitatis nebula, *gloriam Domini speculantes*, quae in omnium plenitudine virtutum mirifice splendet, *in eandem imaginem transformemur a claritate in claritatem* ; a virtute nimirum in virtutem progredientes, studio fidelissimae imitationis ad eandem perfectionis formam contendamus. Ex illo enim bonorum omnium

2. Cor. 3, 18.

promptuario primum aptissima sanctificationis ad quam vocati sumus exempla petemus ; deinde sincerum animarum zelum, eiusque multiplices modos et validissima incitamenta percipiemus ; tum, quod caput est, spiritum ipsum Iesu Christi et auxilia, quibus et in se ipso quisque et in aliis *fructum afferat in patientia*, copiosissime hauriemus.

Luc. 8, 15.

Ex quo illud maximum emolumentum, quod sine dubio in omnium est votis, Societati universae sperare licebit, nimirum, ut primigenius ille spiritus evangelicae abnegationis et apostolicae caritatis, quem ei sanctus Pater tam sollicite impressit, integer vigeat atque fructificet, vel, quatenus opus sit, denuo excitetur et reflorescat ; atque in omnibus appareat, iuxta eiusdem sancti Patris mentem, *probitas et virtus, ac praecipue caritas, et pura intentio divini servitii, et familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum, ad gloriam eius qui eas creavit et redemit, quovis alio emolumento posthabito.* Porro hae sunt demum verae divitiae nostrae, quarum amore saeculo valediximus: quibus dum Societas abundaverit, non modo in illis regionibus in quibus Deo favente quietam agit vitam, verum ubique alias, in mediis etiam persecutionibus, laetificabitur in filiis suis atque adeo incolumis et felix erit. Utinam vero felicitas haec matri amantissimae a nostris omnibus comparetur ! Utinam per intimum Iesu Christi amo-

Const. Part. 10. § 2,

rem et cotidianam solidarum virtutum exercitationem, dum tempus habemus, ita corroboremur in interiore homine ac sanctificemur, ut parati ad omnia semper inveniamur, illud nobiscum repetentes : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi ; per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Gal. 6, 14.

et pietas erga B.V.Mariam.

20. Dum autem sanctissimi Cordis Iesu cultum adeo impense vobis commendo, minime velim, reverendi Patres et Fratres in Christo carissimi, ab illo seiunctum vel minus impense laudatum studium illud obsequentissimae pietatis quo immaculatam Virginem Mariam colere consuevistis, quae Societatem nostram inde a primordiis materno amore complexa, suo numquam patrocinio destituit ; cuius immortalia beneficia sive in omnes communiter, sive seorsum in singulos collata, quisque nostrum suavissima recordatione confitetur et praedicat. Quin immo, siquidem dulcissimae huic Matri Cor illud divinum acceptum referimus, et maxime per *eam* aditus in *illud* nobis patet, in hunc ipsum finem, ut ad sanctissimum Cor Iesu perveniamus eique penitus addicti simus, expedit in primis atque oportet, ut piis et cotidianis obsequiis *eandem* nobis demereamur. Quare vos omnes etiam atque etiam rogo, ut pium hunc erga parentem suavissimam affectum, in quo et merito laetamini et citra haesitationem confiditis, quovis thesauro potiorem existimetis, eumque iugiter

alere in vobismet ipsis, atque in aliis incendere studeatis. Debemus hoc Matri sanctissimae nostrique amantissimae cuius veluti manu ducti sumus in Societatem Iesu, cuiusque in Corde tutissimum nobis perfugium praesto est ac semper erit.

Atque hic, sacerrimis Iesu et Mariae Cordibus ad exemplum et patrocinium propositis, libens mea sistit et quodammodo conquiescit epistola, per quam vos omnes, Patres Fratresque in Christo carissimi, alloquor simul et peramanter amplector, meque ipsum omnium precibus et sacris enixe commendo.

Romae, die festo omnium Sanctorum
an. M. D. CCC. LXXI.

Omnium servus in Christo
PETRUS BECKX.

EPISTOLA

R. P. N. PETRI BECKX

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE NOVIS TRIBULATIONIBUS ET DE SOLACIO

EX BEATIFICATIONE
B. PETRI FABRI PERCIPIENDO

1. Per occasionem calamitatum quibus Ecclesia pariter et Societas nostra obnoxiae sunt, anno superiore ad exitum vergente, scripsi vobis, reverendi Patres Fratresque in Christo carissimi, ut omnium animos ad patientiam cohortarer, et ad fiduciam erigerem in sanctissimo Corde Iesu atque in ope validissima Immaculatae Virginis Mariae quo et praesentia mala fortiter tolerare et ingruentia non imparati excipere possemus. Quod vero tunc timere me dixi, eventu ipso expletum iam videmus ac sentimus. Ex illo enim tempore commota in Societatem nostram tempestas, non modo non resedit neque virium quippiam remisit, sed multo vehementius conci-

Commota tempestas acrior incubuit in Societatem,

tari ac latius furere incepit. Nostis, reverendi Patres Fratresque in Christo carissimi, quam inique atque aspere nobiscum actum fuerit in provincia Germaniae. Ibi nimirum, postquam fratres nostri domi forisque, sine cuiuspiam offensione aut querela, pro salute animarum per viginti solidos annos impigre desudassent, dumque recens adhuc erat memoria laborum, quos cum vitae discrimine immo et iactura, in expeditionibus, in castris, in nosocomiis ea caritate animique constantia sustinuerant, ut ab ipsis militiae ducibus regnique ministris publicam referrent laudem, haec ipsa eorum in rem publicam praeclara merita, quae in nostrae Societatis et religionis catholicae commendationem cedere debebant, adeo haereticorum aliorumque sectariorum excitarunt invidiam, ut in suis conventiculis nostrorum interitum per fas et nefas procuraturos sese iuraverint, et tandem in novi imperii comitiis eorum machinationibus iniquissima sancita sit lex, qua nostri e suis domiciliis exturbarentur. Neque hoc sat esse visum est inimicis nostri ordinis, at praeterea (quod in historia persecutionum perraro accidit) non modo a contionibus et publica sacrorum ministeriorum celebratione, sed et ab excipiendis fidelium confessionibus, immo et a privata SS. Eucharistiae oblatione aliquibus in locis nostri sacerdotes abstinere coacti sunt. Qua in re tamen illud solacio nobis esse debet, iniquitatis auctores fuisse heterodoxos ac

tum in Germania.

sectarios, qui propterea se nobis infensos esse professi sunt, quod falsis eorum doctrinis fraudulentisque conatibus adversemur, et divinitus revelatas Apostolicae Sedis praerogativas propugnemus. Ne vero quis dubitare posset quin fratres nostri plane immerentes oppressi fuerint, ipsi effecerunt persecutores, qui in publicis comitiis nullam adversus nostros validam accusationem afferre potuerunt, quin immo neque causae nostrae cognitionem ad iuris normam institui permiserunt, licet catholici omnes et protestantium non pauci id palam et instanter in imperii comitiis petiissent. Adeo nempe alte ipsis adversariis insederat persuasio, praeter religionis odium, nullam esse causam ob quam damnare nos et opprimere valerent.

2. Quae autem hic Romae postremis hisce mensibus contra Societatem acta sunt, non arbitror vos penitus ignorare. Dum communes vobis litteras mittebam anno praeterito, nondum e domibus nostris fueramus eiecti. At paulo post tironum domus ad Sancti Andreae, quae praeter Stanislaum et Aloysium tot alios omnium virtutum splendore ornatos viros ad omnem sanctitatem efformaverat, et in qua non ita pridem piissimus Sabaudiae Rex Carolus Emmanuel huius nominis quartus, deposita terrestris regni corona, in nostrorum contubernio ultimis quattuor vitae suae annis raro sanctitatis exemplo transactis, tandem pie obiit die sexto Octobris anno 1819, atque ibidem humili

tum in Urbe; timendumque ne ingravescat;

nostrae professionis veste sepeliri voluit : haec inquam tot tantisque titulis nobis carissima domus, decreto regis, publicae utilitatis obtentu, nobis est erepta. Deinde etiam ipsa professorum domus sanctissimo nomine Iesu signata, simili publicae utilitatis praetextu, quod ad maiorem sui partem, per vim nobis aufertur, relictis in praesentiarum aliquot cubiculis, quae tamen excipiendis omnibus qui eam hactenus incolebant sociis non sufficiunt ; sublato prorsus spatio, quod sive congregationibus celebrandis, sive excipiendis patribus qui negotiorum causa in Urbem veniunt, in hac domo praesto esse deberet. Super haec autem omnibus notum est de abolitione Ordinum religiosorum brevi hic in regni comitiis actum iri ; et quoniam haec animo erga nos et Ecclesiam hostili esse noscuntur, novas in posterum calamitates nobis esse exspectandas nemo non videt. Quod enim sectarii per summam iniustitiam in Germania efficere potuerunt, id tali exemplo, immo et summorum ministrorum suasionibus excitati, in aliis etiam regionibus tentare praesumunt, ita ut non uno in loco gravissima damna, quae benignissimus Deus avertat, merito timere debeamus.

neque Europae finibus continetur, sed saevit etiam in America.

3. Neque periniqua haec nostri Ordinis persecutio intra Europae fines continetur, sed malorum hominum insectatione ad alias etiam mundi partes sese protendit. In republica Guatimalensi, everso legitimo principatu, perduellium opera

factum est ut sodales nostri e domibus suis et ex ipsa regione vi ac tumultu eicerentur, ubi viginti annorum spatio sine ulla querela, religioni et bonis artibus excolendis unice intenti, eidem reipublicae non pigendam operam navaverant. Id autem a sectariis odio religionis patratum esse dubitari non potest ; siquidem una eademque sententia pientissimum Guatimalensium Archiepiscopum, ac paulo post etiam fratres ex ordinibus S. Dominici et S. Francisci, qui de religione ibidem optime fuerant meriti, repente perculit.

In tantis calamitatibus solacio sit nobis

4. Sunt haec praecipua damna quae hoc ipso vertente anno Societati sunt illata, nec aliam ob causam illata sunt, quam quod per Dei gratiam Christo Iesu eiusque Ecclesiae devoti divinam utriusque auctoritatem propugnamus. Non defuerunt sane has inter adversas vices solacii causae : et praeter ea quae in altera mea epistola enumeravi, in primis recensenda videtur singularis prorsus erga nostrum ordinem omnium bonorum benevolentia, quam maxime in Germaniae imperio experti sumus. Neque enim soli Episcopi contra iniquam ordinis nostri suppressionem publice et datis etiam ad summum imperantem litteris, sed nobilium catholicorum coetus universus, insigniores cives, immo, ut verius dicam, catholici omnes contra iniquam vim nobis illatam reclamarunt, et nostram innocentiam vindicarunt. Sed placuit praeterea divinae bonitati eximium benevolentiae suae pignus nostrae Societati exhibere,

nova beatificatio Petri Fabri.

novum scilicet beatum caelitem nostri ordinis decus atque ornamentum, cuius exemplo ac patrocinio erecti magno animo et facere et pati fortia perdiscamus. Petrus Faber, beatissimi parentis nostri primogenitus, qui pro merito a suis popularibus inde ab eius obitu religiose coli atque invocari numquam desiit, nunc Decreto Sedis Apostolicae, cuius exemplar cum his litteris ad vos mitto, Beati Confessoris nomine cultuque dignus est renuntiatus. Magno igitur grati animi affectu cum Apostolo exclamemus: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra; ut possimus et ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo.* Quaenam porro sit exhortatio, qua peramanter a Deo monemur, facile intellegetis, reverendi Patres Fratresque in Christo carissimi, si modo in egregium hoc virtutum exemplar, divinitus Societati nostrae oblatum, oculos intendatis. Ostendit profecto clementissimus Deus per novum hoc beneficium et diligere se Societatem et quam ob causam nos diligat; nosque omnes proinde monet, ut ad hoc religiosae perfectionis exemplar vitam nostram reformemus, et sanctitatem quam in beato Petro suspicimus, sedulo imitemur. Cogitate igitur humilitatem, patientiam, oboedientiam, divinae gloriae studium, caritatem: paucis, genuinum Societatis Iesu spiritum, quem a sanctissimo parente Ignatio

2. Cor. 1, 3, 4

Cuius virtutes aemulemur,

beatus Petrus sic hausit, ut praecipuas Europae nationes, quas eiusdem S. Patris nutu praesens excoluit, bono Christi odore perfunderet. Dum autem has virtutes in eo miramini, cui minora certe suppetebant adiumenta quam quae nobis prostant in instituto Societatis et maiorum nostrorum exemplis, efficite, quaeso, ut ad eius imaginem vosmet ipsos summo studio effingatis. Quo deteriora sunt tempora quibus vivimus, quo callidiores nostris damnis imminent inimici, eo magis unicuique nostrum instituti amor et observantia cordi esse debet.

eo ferventius quo tempora deteriora sunt,

5. Multo certe magis quam alias hac nostra tempestate *adversarius* noster *diabolus... circuit, quaerens quem devoret* : *Vigilate* igitur *et orate, ut non intretis in tentationem.* Vigilare nos oportet et in omnem vitae nostrae rationem intendere, ut nihil in nobis sit quod Deo displiceat, aut mundo, qui nos odio habet, veram praebeat malignandi occasionem ; orando autem impetrabimus gratiam, quae id ipsum aggrediamur et perficiamus, atque ita demum optatam Societatis nostrae totiusque Ecclesiae pacem assequamur. Excitavi vos alia epistola, ut in sacratissimo Corde Iesu refugium quaeratis eiusque amori vos omnino devoveatis ; nec sine magno animi solacio percepi quanta alacritate meae invitationi sitis obsecuti. Interea, reverendi Patres et Fratres carissimi, saevit adhuc procella et multis adhuc circumdamur undique periculis : attamen si nondum

vigilantes et orantes.

1. Petr. 5. 8. Matth. 26, 41.

obtinuimus tot votis desideratam libertatem, ne quaeso animo deficiamus, sed maiore potius ad mitissimum Cor Iesu recurramus fervore. Differt profecto gratiam, ut fiduciam probet, ut orandi studium magis excitet, ut ad maiorem nos provocet vitae sanctitatem, atque ita paratiores efficiat ad id quod pro eius gloria quaerimus assequendum.

Vestris ad Deum precibus et sanctis sacrificiis me et Societatem universam impense commendo.

Romae, in festo S. Francisci Borgiae
M. D. CCC. LXXII.

Reverendi in Christo Patres et Fratres carissimi,

Vester omnium servus
PETRUS BECKX.

EPISTOLA

R. P. N. PETRI BECKX

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE SOCIETATE IN URBE ET DICIONE ROMANA OMNIBUS SUIS BONIS SPOLIATA

Proscripta Societate in Urbe et dicione Romana.

1. Quod iam multo tempore anxii timebamus futurum, quodque omni qua poteramus cura et industria, praecipue vero fusis ad Deum precibus et supplici ad caelestes patrones confugio, a Societate nostra avertere studebamus, id tandem inscrutabili Dei consilio ab adversariis nostris exsecutioni mandatum est. Societas nostra a religionis osoribus, qui Urbem sanctam hodie infestant, omni calumniarum et contumeliarum genere diu vexata, tandem in lege civili in Urbe et dicione Romana suppressa et bonis omnibus suis spoliata est. Templa SSmo Nomini Iesu S. Ignatio, S. Andreae, S. Vitali, S. Eusebio dicata, ut etiam S. Francisci Xaverii sacellum a Caravita vulgo nuncupatum, decreto regio nobis sunt

erepta aliisque sacerdotibus e clero saeculari ad procurandum tradita ; nostri autem suis e domibus adeo repente sunt expulsi, ut post duas hebdomadas die prima Novembris absolutas, omnes omnino socii extra domos esse iuberentur. Aedes porro illae tot nominibus caraenobis ac venerandae, a novis dominatoribus occupatae, ad profanos usus detorqueri incipient.

frustra invocato patrocinio exterorum Principum,

2. Ad avertendam hanc cladem, praesertim a Domo Professorum et a Collegio Romano, exterorum principum patrocinium invocare non dubitavimus. Ex ministrorum autem responsis spes aliqua, maxime pro Collegio Romano, cuius conservatio exterarum nationum vehementer interesse debebat, affulgere videbatur. Verum Deo ob fines sanctissimos ita permittente ac disponente, ab hominibus plane fuimus derelicti, novoque hoc experimento didicimus quam verum sit illud psaltae effatum : *Nolite confidere in principibus, in filiis hominum in quibus non est salus !*

Ps. 145, 2.

Socii dispersi et praepositus Gen. Florentiam profectus est.

3. Igitur templa nostra et domicilia, sacerrimis tot Sanctorum memoriis insignia, qui vitam et mortem ibidem sanctissime obierunt, die ipso Sanctis omnibus sacro relinquere necesse fuit. Patres autem et fratres, prout res ferebat, hac illa dispersi asylum sibi quaerere coacti sunt. Quoniam vero in communi adversus Societatem persecutione, adversarii nostri impiis suis ephemeridibus ac libellis incautae plebis odium praecipue contra Praepositum Generalem excitare non

cessarunt, a patribus iudicatum est, ipsum in praesenti Romae tuto remanere non posse. Unde explorata Beatissimi Patris sententia, ipsoque approbante et suadente, die 30 Octobris, Roma Florentiam profectus sum, ubi cum PP. Assistentibus, si aliunde nihil obstabit, interea subsistere intendo, exspectans quid Deus labente tempore sit indicaturus.

Quae afflictio, quantumvis magna, ne animos deiciat.

4. Dum tristissimum hunc nuntium vobiscum communico, reverendi Patres et Fratres carissimi, ex dolore quem vos ipsi pro vestro in Societatem amore sentitis, facile metiri poteritis quali et quanto doloris sensu animus meus affligatur. Doleo ex una parte infaustam condicionem ad quam tot patres et fratres, et maxime qui senio et infirmitate laborant, redacti sunt ; ex altera vero parte praevideo, immo iam sentio molestias et obstacula quae in Societatis gubernatione necessario occurrent. Super haec autem observantur mihi gravissima damna, quae cum in Societatem nostram, tum in permultos Christi fideles ex hac tribulatione enasci possunt. Haec, inquam, et alia multa dispersionis adiuncta, quae singillatim enumerare non vacat, magno cor nostrum dolore ac timore percellunt. Verum in solo hoc doloris affectu persistere nobis minime licet : sursum erigere corda necesse est ad Dominum nostrum. Pater est, qui filios ad emendationem castigat ; ipse nobiscum est in tribulatione quam permisit, et faciet cum tentatione proventum, ut possimus

sustinere et consolari eos qui nobiscum sunt in eadem tribulatione. Divino certe consilio (ad effectum quod attinet) in hanc tribulationem incidimus, nec dubitare nobis licet quin haec omnia ab infinita illa in nos misericordia et caritate in bonum nostrum directa sint. Divinae igitur dispositioni demisse nosmet subiciamus et confidenti animo ad SSmum Cor Iesu confugiamus, enixe cupientes et rogantes ut sanctissima Dei voluntas expleatur in nobis ; ita scilicet ut finem quem huius mali permissione ipse intendit assequi, et per patientiam intimius cum eo coniungi mereamur.

adest solacium,

5. Ceterum, quae Dei in nos misericordia est, in ipsa tribulatione, utut in se tristissima, solacium non leve experti sumus. Etenim a die quo suppressio Societatis nostrae decreta est, etsi plebs vulgatis in nos calumniis continenter excitaretur, non modo nullus e nostris contumeliam passus est, sed a fideli populo Romano generatim, et a viris clarissimis et ab Ecclesiae Praelatis, nec non ab ipso Christi Vicario singulari benevolentiae et amoris significatione refecti sumus. Solacium etiam est non leve quod patres et fratres omnes, debita cum humilitate et patientia magnaque in Deum fiducia, gravissimam hanc probationem sustineant, nihil ardentius desiderantes et petentes quam ut eo loco vivere eis liceat ubi vocationis suae munera toto pectore summoque studio implere possint, donec optata veniat dies, qua in

unum denuo convenire nostrique ordinis disciplinam libere observare datum sit.

et spes

6. Quid porro divina providentia de nobis rebusque nostris dispositura sit humana ratione assequi nondum licet. Confidimus tamen et pro certo habemus Deum nobis propitium fore : immo multorum sententia est, dispersionem hanc nostram non tam calamitatis quam beneficii loco a nobis esse habendam, per quod graviora mala quae forte nobis imminebant evitarentur.

preces salutari suo effectu non frustratum iri.

7. Attamen quicumque futuri sint casus, qui Romae impendere non paucis videntur, nostrum est, reverendi Patres et Fratres carissimi, assiduis precibus et sanctis pietatis exercitiis implorare divinam misericordiam et clementiam, ut abbrevientur dies mali in quos incidimus, et ut Dominus noster reddat nobis *laetitiam salutaris sui ac* Ps. 50, 14. *spiritu principali confirmet* nos. Firmissimam foveo in animo meo spem ac fiduciam, sanctas preces et supplicationes, quae tam a vobis quam a piis fidelibus pro nobis divinae majestati offeruntur salutari suo effectu minime frustratum iri. Speremus ergo in Dei bonitatem, et spe hac erecti Sanctorum nostrorum patrocinium, potissimum vero immaculatae Virginis Deiparae suffragium imploremus, ut reddat nobis Deus optatissimam pacem, per quam Ecclesia de hostibus suis triumphum agat, ac Societas nostra igne tribulationis probata et purgata novo fervore vocationis suae ministeriis libere vacare et pro gloria Dei et

animarum salute impendere se ipsam et superimpendere valeat.

Ad haec vos omnes, Patres et Fratres carissimi, peramanter in Domino amplector, et sanctam benedictionem indulgentia Beatissimi Patris Pii PP. IX, ex animo impertior in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Sanctis sacrificiis et precibus me commendo.

Vester omnium servus
PETRUS BECKX.

Datum V Novembris, M. D. CCC. LXXIII.

EPISTOLA

R. P. N. PETRI BECKX

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE ANIMARUM ZELO, ET DE RATIONE EAS IUVANDI

Epistolam scribendi ratio.

1. Iam dudum optabam, Patres Fratresque in Christo carissimi, saltem per communes litteras, quod praesens non possum, singulos vos alloqui, et communicare vobiscum quae Deus pro infinita

sua clementia suggerere mihi dignatur, ad excitandum in vobis magisque promovendum vocationis spiritum, qui datus est nobis cum huic spirituali militiae, divina nos invitante gratia, fuimus ascripti ; sed variis impeditus curis, quae graviores identidem ex huius mei exsilii condicione enascuntur, et aliis atque aliis sibi succedentibus occupationibus iugiter distentus ad hunc usque diem consilii mei exsecutionem invitus differre debui. Nunc tandem, recurrente die sanctissimo viro Francisco Xaverio sacro, peropportune ad rem de qua sermo erit eius patrocinio implorato, scribendi initium facio.

Res Societatis afflictae.

2. Quo in statu Societas nostra versetur, Patres Fratresque carissimi, quibus gravissimis calamitatibus vexationibusque agitata fuerit superioribus annis, et quibus molestiis atque periculis adhuc in praesenti sit obnoxia, nemo vestrum est qui ignoret. Dolemus sane florentissimas provincias, maxime in Italia et Germania, per iniquam vim e suis sedibus exturbatas, et tot dilectos in Christo Patres Fratresque nostros, nullo habito aetatis aut condicionis discrimine, vel in exsilium vel in dispersionem actos, nullo aut exiguo sane sustentandae vitae subsidio praeditos, multis autem incommodis atque periculis expositos.

Eius mala, qua nostra, fortiter sunt ferenda ;

Haec et alia quae nobis acciderunt exteriora mala, et quae maiora forte timenda sunt in posterum, in se quidem gravia apparent, et plurima nobis afferunt damna ; verumtamen, si considera-

mus nihil nobis accidere sine divino numine, et divinam sapientiam dum eiusmodi mala permittit ea in bonum electorum suorum ordinare, non tam deiciemur animo (ut alias ad vos scripsi) quam erigemur potius. Scimus enim talia nobis odio religionis a religionis hostibus infligi ; quo vero magis humana subsidia pro religione certantibus deficiunt, eo ardentius imploranda, eo fidentius speranda sunt divina, et in Dei mirabili et providentissima ope securius conquiescendum. *Iustificati ergo ex fide* (ut verbis Apostoli Pauli utar) *pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum ; per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam in qua stamus... et gloriamur in tribulationibus ; scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.*

Rom. 5, 1-5.

qua mala Religionis, dolenda,

3. At si calamitates et persecutiones, qua parte nos ipsos tangunt, non modo patienti sed magno etiam, ut diximus, animo sunt tolerandae ; qua tamen parte, utpote mala moralia, in Dei offensam, in religionis damnum, in populi christiani perniciem redundant, cuinam, siquidem Deum et animas Christi sanguine redemptas diligat, non gravissima et summopere deflenda mala videantur ? Sane triste est videre qua astutia et pertinacia infensissimi Dei et Ecclesiae hostes constanter enitantur ad Christi fidem deprimendam et ex hominum cordibus eruendam ! Neque vos latet profecto, quam pestifera quamque copiosa erro-

rum semina spargantur in vulgus, quae morum corruptela in cuiusque aetatis, ordinis et condicionis homines invecta sit ac porro invehatur; nullum non movent lapidem vaferrimi persecutores, ut sanctissima religionis dogmata, ut sanctae Ecclesiae sacramenta, ritus et caerimonias vituperent, ut Sedis Apostolicae auctoritatem et Romani Pontificis potestatem labefactent ac eius gubernationem impediant, ut denique ex animis Christi fidelium omnem prorsus non pietatis modo, sed naturalis quoque probitatis sensum radicitus evellant. Scimus autem, et pro dolor ! cotidie oculis nostris videmus, huiusmodi nefarios ausus et conatus non frustra fuisse adhibitos; multorum quippe fidem inde labefactatam, multorum mentes perversas, multorum corda penitus depravata lamentamur.

zelum nostrum excitare debent.

4. Ecquis talia dum videt, non toto corde commoveatur et sancto accendi se sentiat zelo gloriae Dei et animarum salutis vindicandae? In tam tristi autem condicione, Patres Fratresque carissimi, instituti et vocationis nostrae ratio non sinit solo dolore, solis querelis et lamentationibus nos esse contentos; ad arma, ut ita dicam, conclamandum est; tot tantisque malis omni qua possumus ope, sedulitate et labore occurrere debemus: id a nobis postulat instituti et vocationis nostrae ratio, id caritas exigit quam in Deum et proximum profitemur. Quare non opportunum modo, sed paene necessarium hoc tempore visum est vobis

verba facere de zelo salutis animarum, et de ratione ac modo quo illum Societatis homines, ad mentem S. P. Ignatii et maiorum nostrorum exempla, exercere debent, ut omnem suam vim exserat, et inde copiosior fructus ad maiorem Dei gloriam et proximorum spiritualem utilitatem redundare possit.

Id requirit praeceptum caritatis;

5. Et primo quidem, quod pertinet ad zelum quo flagrare debemus pro animarum salute, opus non est longo sermone, ut eius in nobis absolutam necessitatem comprobem: uno enim et eodem actu iubemur Deum diligere et homines. *Hoc mandatum habemus a Deo*, inquit S. Ioannes, *ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Et alio loco infert perfectionem caritatis in Deum dependere ab ipsa dilectione proximi: *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas eius in nobis perfecta est.* Ex quo apparet, adeo non esse diversam virtutem qua diligimus proximum, ab ea qua diligimus Deum; quin immo caritas divina in nobis eo ipso perficitur quod studiose diligimus fratres.

1. Ioann. 4,21.

1. Ioann. 4,12.

id postulat instituti nostri ratio.

6. Si igitur praeceptum caritatis in proximum afficit omnes homines ratione utentes, atque adeo ex vi eiusdem praecepti debent, ut ait S. Thomas, velle bonum et maxime spirituale suorum proximorum, quanto magis nos, reverendi Patres et Fratres carissimi, qui ex instituto et vocatione nostra tenemur non solum interno affectu velle bonum alterius, sed opere et effectu illud procurare, in quo praecipue consistit zelus animarum,

tamquam proximus effectus fraternae caritatis. Vocati enim sumus a Deo in hanc Iesu Societatem cuius finis est, *non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere.* Longe profecto ab hoc fine absunt, tum ii qui sibi unis dumtaxat intenti, nequaquam de aliorum salute commodisque laborant, tum etiam ii qui interiores quidem animo fovent caritatis affectus et pia desideria, sed manum operi non admovent, neque alienae saluti, pro sua quisque facultate, serviunt. Utrique alienum a vocatione nostra spiritum prae se ferunt: cum S. P. Ignatius in prima Instituti nostri formula, quam Summo Pontifici obtulit, diserte enuntiet, ut *quicumque in Societate nostra..... vult sub crucis vexillo Deo militare,... proponet sibi in animo, se partem esse Societatis ad hoc potissimum institutae, ut ad profectum animarum in vita et doctrina christiana.... praecipue intendat.*

Exam. gen. c. 1. n. 2.

Bulla Pauli III, Regimini militantis Ecclesiae, et Iulii III. Exposcit debitum.

7. Neque qualicumque modo, seu remisse et segniter, sed *impense*, id est, omni studio, industria et labore vult S. Pater nos incumbere ad proximorum salutem procurandam. Requirit ergo ut pro suo quisque gradu ac facultate et pro mensura gratiae sibi a Deo concessae in hoc divinissimo opere, ut ait Areopagita, sese exerceat ; requirit ut nullis neque laboribus neque incommodis parcamus, dum de salute animarum agitur; requirit tandem ut vitam ipsam ubi necesse est periculis

Zelus qualis esse debeat.

obiciamus, imitantes unigenitum Dei filium, qui ut animas ab aeterno interitu vindicaret, nostrum mortale corpus induit, ac pro sua eximia caritate sanguinem vitamque profudit. Omnia denique opportune importune tentanda, omnia patienter ac forti pectore sustinenda sunt iis qui non quocumque modo, sed *impense* navare operam debent animis pretioso Christi sanguine redemptis in aeternum salvandis.

Furor malorum nostrum zelum accendere debet.

8. Ad hoc autem opus vehementius urgendum, praeter amorem quo Deum diligimus ac sanctam nostram vocationem prosequimur, impellere nos debet atque incitare, tum summa spiritualis auxilii necessitas in qua, uti diximus, proximorum animae hoc praesertim tempore versantur; tum etiam incredibiles conatus et omnis generis malae artes, quibus nefarii homines utuntur ad perdendas animas, sublata ab eis fidei morumque integritate. Nihil enim non audent, non attentant, ut iniquissimum suum propositum assequantur; non laboribus, non vigiliis, non sumptibus parcunt; ubi prima conamina et remedia non succedunt, non ideo abiciunt animum, sed ad extrema recurrunt et maiore impetu ac vehementia certamen instaurant. Quod si aperta vis et iniustitia eis non suffragatur, si voce, exemplo, blanditiis, promissionibusque scopum non assequuntur, libellos, ephemerides et scripta omni impietate et obscenitate referta, nullo aut vilissimo pretio passim disseminant, ut homines a Christi fide ad Satanae

vexillum pertrahant. Merito cum Apostolo Petro dicere possumus : *Adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret.* Quid ? Perditi homines, inferni servitio addicti, vires omnes adhibebunt ut animas Christi sanguine redemptas a sinu amantissimi patris avellant easque in aeternam ruinam trahant ; nos vero, Patres Fratresque carissimi, in eis iuvandis et recuperandis segnes erimus ? Si unicuique Deus mandavit de proximo suo, multo magis nobis hoc caritatis officium incumbit, qui ad hoc specialiter vocati sumus, quique gloriamur filii illius Patris Ignatii nominari, qui divina incensus caritate, tanto flagrabat zelo ad Dei gloriam per universum orbem propagandam, et omnium animas ad Dei amorem et ad aeternam salutem perducendas. 1. Petr. 5, 8.

9. Non dubito, Patres Fratresque carissimi, vos omnes ardenti zelo flagrare. Noti mihi sunt labores vestri, notae vigiliae, nota ministeria in quibus se quisque exercet ; illud tamen, ut ingenue animum meum aperiam, mihi saepe in mentem venit, illud quaero et quodammodo a me postulo : cur ex tot laboribus nostris, vigiliis ac ministeriis saepe tam exiguus fructus colligitur ? Cum enim maiorum nostrorum, ac in primis S. P. Ignatii sociorum res gestas recolo, video regna, provincias, urbes frequentissimas apostolico eorum zelo brevi tempore eo esse adductas, ut alia quaedam videretur esse earum facies quam fuerat paulo ante ; video refrenatam morum licentiam, coercitam blasphemanMaiorum nostrorum zelus uberrimus.

tium impietatem, sublatas discordias, eradicatos abusus; video ingentem perditorum hominum multitudinem e caeno vitiorum aut ab haeresis contagione ad rectam fidei et salutis semitam fuisse traductam; video denique vel ab uno tantum socio uberem messem et copiosissimum fructum fuisse collectum. Quid igitur causae est, cur nos eandem vocationem profitentes forte vix ac ne vix quidem decimam partem eorum fructuum quos maiores referebant, ex nostris laboribus modo colligimus? Id certe non provenit ex eo quod leviora fuerint eo tempore impedimenta, vel quod populi et nationes, utpote non adeo moribus et fide corrupti, magis fuerint ad semen evangelicum recipiendum propensi. Illi enim operarii laborabant plerumque in civitatibus et provinciis vel ex parte vel ex integro haeresi infectis, et christiana gens fere omnis, ante inductam a Concilio Tridentino disciplinae reformationem, a pietate ac modestia quam maxime aliena, vitam flagitiosissimam passim ducebat. Si ergo impedimenta quae tunc oboriebantur, eadem fere erant, ac forte maiora quam nunc sunt, nec ad ea vincenda aliis utebantur remediis quam nos ipsi utimur; unde fit, inquam, ut ex illis unus tantum perciperet ex suis laboribus emolumentum, quantum forte decem ex nobis, iisdem utique ministeriis addicti, percipere non valent. Potuerunt sane egregii illi viri praeclara vitae sanctitate copiosiores a Deo promereri gratias quam nos homi-

nes fragiles et multis miseriis obnoxii ; sed alia mihi esse videtur huius causa discriminis, quod nempe eadem omnino ministeria diversa ratione ab iis exercebantur quam a nobis exerceri solent.

10. Atque hic sentio me iam devenisse ad alteram partem, quam secundo loco tractare proposueram, loquendo scilicet de modo quo, secundum mentem S. Patris Ignatii et maiorum exempla, exercendus est nobis zelus animarum. Nam cum duo praescripta sint, auxilium nimirum proximorum modusque eos iuvandi, saepenumero fit, ut non nulli operibus unice intenti, nihil omnino cogitent de agendi ratione et ordine : quod profecto a nostrae Societatis spiritu longe alienum esse existimo. Dum per hos dies memoriae S. Francisci Xaverii sacros de copiosissimo eius apostolici ministerii fructu coram Deo cogitabam, duo haec maxime miratus sum : primum quidem labores ipsos, quos ad salvandas animas sustinuit, deinde laborandi rationem. Sinite ergo ut in hac materia, quae mihi magni momenti esse videtur, paulo fusius et diligentius explicem quid sentiam ; quamquam non ex meo sensu ut verum fatear, sed ex accurato ac fidelissimo legum nostrarum interprete Francisco Xaverio, cuius apostolicum zelum et animarum fructum universus orbis miratur, omnia depromere intendam. Nostis omnes, Patres Fratresque carissimi, quam intima necessitudo et animorum coniunctio inter patrem nostrum Ignatium eiusque socium Franciscum Xaverium inter-

Zelus noster minus benc ordinatus.

cesserit ; nostis quam bene omnibus in rebus Ignatii et Xaverii sensus inter se congruerent; nam etsi infinito propemodum intervallo essent disiuncti, quaecumque Ignatius Romae ad Societatis utilitatem et incrementum mente concipiebat, ea Xaverius eodem tempore in India praecipiebat et exsequebatur: unus quippe idemque spiritus illa utrique dictabat, utrobique Societatem ad certam formans disciplinam caelestemque ambobus prudentiam et agendi rationem inspirans: quod quidem omnes historici nostri observant et testantur, et facta ipsa evidenter confirmant.

S. Xaverius zeli exercendi Magister.

11. Perfectam ergo viri apostolici formam, uti in se ipso exhibet Xaverius, ita eam servandam suis subditis tradit in suis epistolis, potissimum in iis quas ad Gasparum Barzaeum dedit. Optarem utique ut haec sanctissimi viri monita nostri omnes, sed praecipue nostri missionarii aliique in vinea Domini operarii, non solum prae manibus saepius haberent, sed attente ac diligenter meditarentur ; commentarii enim constitutionum nostrarum vere dici possunt, et sanctioris doctrinae domesticus sunt thesaurus. Quare dum pauca ego ex illis depromo quae in rem nostram faciunt, etiam etque etiam rogo vos omnes, Patres Fratresque carissimi, ut ex ipso fonte copiosiores hauriatis aquas. Disserens ergo Xaverius de modo ac ratione qua homines Societatis exercere debeant animarum zelum, quamquam vir apostolicus, qui animum gerebat mundo maiorem, neminem

exclusum velit a cura nostrorum, monet tamen, si velint uberiorem inde percipere fructum, ut delectum habeant tum circa personas quae prae ceteris excolantur, tum circa ministeria quae potissimum a nostris operariis exercenda sunt.

In zelo ordo servandus :

12. Et quod ad personas attinet, praemittit in primis ad Barzaeum scribens, ut prius et magis domesticis quam externis consulatur : " Quare, *inquit*, vide ante omnia, ut primum erga fratres nostros, erga pueros et orphanos indigenarum, alumnos huius domus, partes officii paterni plane omnes expleas, animis horum et corporibus ea sollicite procurando quibus egent. „ Subdit deinde aberrare a tota via eos qui secus agunt, quique primo et potiore capite neglecto, in posterioribus dumtaxat et minoris momenti operibus totum consumpserint studium ; seque haec et suo et patris Ignatii nomine praecipere et ex animi sui sententia impensissime commendare, propterea quod persuasissimum habeat, praecipui hoc monitum esse momenti. Proinde Barzaeo commendat ut singulis diebus huius suae admonitionis memoriam refricet. Videant ergo nostri et maxime superiores collegiorum ac domorum, an in hoc gravissimo negotio muneris sui partes omnes impleant, ne in tremendam Pauli sententiam incurrant: *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* De hac nostrorum cura alias superiores monui ; unde huic rei quantumvis gravissimae hic diu-

Libr. VI Epist. 5 Edit. Rom. 2. a. 1681. P. Possin.

imprimis colendi domestici ;

I. Tim. 5.

tius immorari non intendo ; non tamen possum non observare, non raro circa hanc rem querelas audiri de superioribus, qui toti externis occupationibus immersi, de domesticis haud satis solliciti dicuntur ; qui dum extra domos versantur, vel externorum colloquiis tempus insumunt, subditis suis, maxime iunioribus, vix tempus et occasionem concedunt ut necessitates suas exponant et spiritualem directionem accipiant. Quare hic iterum superiores in Christo moneo et obtestor, ut coram Deo serio perpendant quo caritatis affectu non corpori tantum, sed multo etiam magis animae suorum subditorum prospiciant ; quo zelo, qua sollicitudine eos ad virtutem et perfectionem promoveant ; quomodo domesticam disciplinam legumque nostrarum observationem et ipsi custodiant et ab inferioribus exigant ; quae remedia adhibeant ad avertenda ab eis pericula, ad curandos animorum morbos. *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet,*
1. Tim. 5. 8. *fidem negavit, et est infideli deterior.* Maxima superiorum vigilantia semper quidem opus fuit, sed si umquam antea, hoc praesertim tempore iisque in locis adhibenda est, ubi tam multi nostrorum e domibus Societatis eiecti ac dispersi, coguntur in privatis aedibus habitare et huc illuc per diversas regiones et loca excurrere. Hi miseri, quasi sibi relicti, sollicito indigent auxilio, ut recte ambulent, ut spiritum vocationis assidua virtutum exercitatione conservent, et contra

mundi pericula praeserventur. Iuvandi igitur sunt omni caritate et industria, et ad devotionis fervorem, ad orationis studium, ad amorem paupertatis, ad vitae morumque integritatem opportune importune excitandi, quo magis honori religionis et proximorum aedificationi serviant. Qua vero ratione haec omnia in singulis casibus praestare debeant superiores, fuse ac dilucide exponit Xaverius in eadem epistola, ad quam brevitatis causa vos remitto. Pari item studio plures alios excolendos monet idem Sanctus, qui licet Societatis membra non sint, tamen inter domesticos computantur, ut sunt alumni et convictores, curae nostrae concrediti, qui nobiscum vivunt in collegiis et seminariis. Timeo ne quandoque nostri, aliis atque aliis quae magis placent ministeriis plus aequo intenti, vel parum curent vel ex parte neglegant illius iuventutis institutionem ; timeo ne in iis educandis potius exteriora sectentur, quae ad corporis cultum ac ad urbanitatem pertinent, quam interiora, quae ad animum in virtute et pietate formandum inserviunt ; timeo ne, dum litterarum studia et litterariae exercitationes impense urgentur, intepescat, nostrorum incuria, religionis amor et studium, quod praecipuum nobis esse debet negotium in adulescentium educatione. Audio non raro, uti modo dicebam, hac de re tum nostrorum tum etiam externorum recte sentientium querelas, et ex animo cupio ut harum occasio praecidatur.

tum externi qui magis indigent,

13. Hisce praemissis quae ad domesticorum curam pertinent, loquens Xaverius de externis hanc auream praescribit agendi regulam, ut ii prae ceteris excolantur a nostris operariis qui maiore indigent auxilio, et ii in quibus fructus insignior et diuturnior atque universalior utilitas sperari queat. Idem praescribit S. P. Ignatius.

Const. p. VII. c. 2. D. et E.

Primum itaque curandi sunt qui maiore indigent auxilio, et tales sunt pueri, pauperes, aegroti, rudes, maxime autem peccatores in flagitiis magis indurati, obstinati et pervicaces. Quare Barzaeum Armuziam proficiscentem serio monet, ut primo loco filiis et filiabus Lusitanorum, tum eorundem servis ancillisque, postremo indigenarum liberis non per alios sed per se, elementa christianae doctrinae patienter explicet, rudiumque memoriae inculcet orationes quas mente tenere christiani debent; deinde et pauperes in domibus et nosocomiis invisat, et ad rationem cum sua quisque conscientia ponendam adhortetur et instruat, atque in iis etiam quae corpus spectant, prout poterit, miseris consulat; ut carceribus detentos frequenter adeat, eosque appositis exhortationibus ad vitam praeteritam sacra confessione purgandam excitet, cum multi vel plerique eorum, ex quo nati sunt, nullam forte exactam peccatorum accusationem fecerint; denique ut flagitiosos homines adoriatur, qui salutis et honestatis immemores, quicquid libet aut placet, ferme etiam sibi licere putant, atque inde praecipites ruunt in effrenatam

libidinem, in avaritiam, in contentiones et odia. Hinc artes et industrias prolixe enarrat sanctus vir, quibus eiusmodi homines, qui iam nec vitia sentiunt nec eorum remedia ferre possunt, pru- Lib. 4. Ed. Ro-
denter alliciat et sibi conciliet, ac tandem ad man. Epist. 4.
paenitentiam suaviter adducat.

Utique naturae gratum non est huiusmodi ministerium, Patres Fratresque carissimi, sed Deo salvatori nostro acceptissimum est, et vobis ipsis summo debet esse solacio, si vestra industria e faucibus inferni retraxeritis animam, pro qua Dominus noster Iesus Christus sanguinem suum profudit. Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissionem ; sed patientia opus perfectum habet.

14. Hanc agendi rationem didicit vir aposto- Ita egit
licus a Christo Domino, qui turbas et infimae ple- Christus et
bis homines singulari benignitate prae ceteris am- apostoli.
plexus est ; ideoque discipulis Ioannis Baptistae interrogantibus an ipse esset qui venturus esset, sive Messias, non aliud dedit certissimum sui indicium quam illud : *Caeci vident, claudi ambu-* Matth. 11. 5.
lant.... pauperes evangelizantur. Ostenditque in se impleri prophetiam Isaiae : *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperi-* Luc. 4. 18.
bus misit me. Nec infimum tantum, sed perditissimum hominum genus ardentissima caritate prosecutus est unigenitus Dei Filius, dicens de se ipso : *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt domus Israel.* Matth. 15, 24.
Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Quin Ibid. 9, 13.

Ibid. 11. Luc. 15, 2. adeo totus erat in criminosis hominibus ad se trahendis, ut a perfidis pharisaeis ei gravi vitio verteretur quod peccatores reciperet, inter illos continuo versaretur, ac manducaret cum eis. Eodem prorsus modo se gesserunt Apostoli et quotquot eis successerunt in conversione gentium: neminem a caritate exclusum voluerunt; quin etiam potior eorum cura et ardentius studium positum fere erat in excolendis rudibus, peccatoribus, iisque omnibus qui maiore in spiritu necessitate premebantur.

Errant, qui speciosiora aucupantur. 15. Quae cum ita sint, facile iam colligi potest quam longe a sincera divinae gloriae et animarum salutis procurandae ratione aberrent, si qui forte sint, qui humilia et obscura declinantes, speciosiora ministeria, quae plus habeant laudis et pompae, studiose sibi vindicant; qui congestis sub fucata boni specie vanis excusationibus, abhorrentes ab usu et consuetudine vilis plebeculae, et a sacris expeditionibus vel inter infideles vel in parvis oppidis et castellis, inter rusticos et pauperes, quos etiam a se et a nostris templis arcendos vellent, urbes frequentissimas, conventus ornatissimos, suggestus illustres, contiones sollemnes, nobilium virorum et matronarum confessiones unice aut ferme unice sibi quaerunt. Tales viri suae potius quam divinae gloriae serviunt, de suis commodis magis solliciti quam de animarum salute. Quod scribebat Xaverius de saecularium rerum procuratione, hanc esse por-

tam per quam mundus in religiosas domos irrumpit cum summa pernicie religiosorum et religionis ; idem vere dici posse existimo de hac opinandi agendique ratione, aut potius corruptela, quae plane mundum sapit et spiritui Christi omnino contraria est. Unde Deum et Dominum nostrum, quantum possum supplex obtestor, ut letalem hanc pestem a nostra Societate quam longissime avertat. Libr. 6, Epist. 5.

16. Praeterea in personarum delectu, illi etiam, secundum Xaverii monitum, praeferendi sunt in quibus potior et universalior utilitas obtineri possit. Hinc, si ex hac rectissima regula definienda res est, satis liquet nihil nobis carius esse debere quam ut pueris et adulescentibus informandis curas nostras omnes impendamus ; quod profecto munus S. Pater Ignatius Societati nostrae omnino proprium esse voluit, eo quod huiusmodi iuvenes in Ecclesiae et rei publicae spem adolescant, eos deinde fructus edituri, quorum semina in primo aetatis flore susceperunt. Atque hinc patres nostri et fratres omnes, qui in collegiis instruendae et erudiendae iuventuti operam navant, magnum animi solacium capere debent. Difficilem quidem sustinent laborem et multis taediis atque molestiis obnoxium ; sed recogitent quaeso se in hoc imitari Christum, qui apostolis dicebat : *Sinite parvulos venire ad me* ; et semper mente revolvant nullum se opus magis Deo gratum posse praestare quam si adulescentium ani- Praecipue excolendi sunt pueri. Marc. 10, 14.

mos sanis principiis imbuant, et ad honestatem et religionis amorem efforment. *Qui ad iustitam erudiunt multos, (fulgebunt) quasi stellae in perpetuas aeternitates.*

Dan. 12, 3.

Excolendi sacerdotes.

Pari modo utilissimum esse docet Xaverius, viros ecclesiasticos et sacerdotes ad illibatam vitae normam assequendam, et ad omnes officii sui partes rite explendas excitare atque dirigere, ut deinde, facti forma gregis et studio evangelicae caritatis accensi, populos sibi creditos ad omnem virtutem et pietatem adducant. Tandem enixe commendat ut patres familias eosque omnes qui praesunt vitae christianae praeceptis imbuere satagant, cum ad eorum nutum, ad eorum exemplum componi soleat familia universa.

Parce excolendae mulieres.

17. Has igitur personas prae ceteris excolendas iubet Xaverius, quia fructus qui inde colligitur non sistit in illis, sed in alios plures dimanat et paulatim propagatur. Generatim vero monet ut magis saluti virorum quam mulierum cura impendatur. Plura hac super re tradit plena divinae prudentiae monita, quae quidem praeterire non possum, et ipsius ad litteram verbis exponam. " Mulieres, *inquit*, cuius eae cumque aetatis, ordinis, gradus sint, nemo nostrorum alloquatur alibi quam in loco publico, puta templo, nec in domibus visat, nisi periclitantes extrema necessitate infirmitatis minantis mortem... Ac ne tunc quidem conveniantur... sine arbitris, iisque idoneis ad testimonium... Cavendum

ne multiplicentur etiam ad graviter aegras nostrorum accessus ultra quam summa flagitat necessitas, deturque universim severa opera, ut.... in rarissimum extenuetur usum nostrorum hominum cum isto sexu commercium, lucri utique exigui, periculi maximi. „ Concludit denique : “ Itaque ne in matribus quidem familias... licet multam ostentent propensionem ad bonum, erudiendis adhortandisque nimium vellem operae atque otii nostros impendere. „ Unde vero tantam in hac re severitatem ostendat mitissimus vir, his verbis explicat : “ Causa mihi sic iudicandi est, quod inconstantes in propositis, verbosae in congressibus fere sunt feminae : unde sequitur et temporis plurimum iis alloquendis perdi, et certi ac securi fructus colligi perparum. „ Lib. 6. Ep. 8.

18. Contra vero agens de virorum cura sanctus vir totus est in ea dilaudanda urgendaque. “ Quanto igitur, *ait*, est compendiosius cum viris earum multum esse, iis informandis et ad omne decus excitandis immorari ! Nempe illos capaciores monstratorum, tenaciores decretorum natura esse constat. Cum iis quod confeceris, fixum stabit ; si quid promiserint, praestabunt. Illi Deo adiuncti et uxorem et familiam component totam. In iis ergo potissimum elaboretur. Hos otiosius, diligentius operarii Societatis excolant, quippe agros ubi tutius seritur, abundantius metitur. „ Quae omnia, si exsecu- Magis iuvandi sunt viri. Ibid.

tioni mandentur, Societas a multis rumoribus libera erit. " Magnum, *inquit*, mihi crede, ista cautio rumorum, nugarum, tricarum, offensiuncularum everriculum est .„ Tandem, ne quis forte suspicetur huiusmodi monita uni data fuisse Barzaeo, cum iam initio eiusdem epistolae clare edixisset : " De modo ac ratione agendi sine offensione cum hominibus haec putavi praescribenda, quae et te observare magnopere velim et a cunctis nostrae Societatis tuae gubernationi subiectis exigere ; „ iterum hoc loco expresse praecipit ut forti animo ab aliis exigat exsecutionem : " Quare, *inquit*, ut (ista cautio) a cunctis tuae curae commissis inconcusse teneatur, enitere fortiter .„ Mirari quis forte posset, tam eximiae erga omnes caritatis et insignis mansuetudinis virum tanta severitate de mulierum cura loqui. Et non negavero temporum personarumque diversitatem efficere posse, ut hae sancti viri admonitiones interpretationem admittant paululum mitiorem ; verissimum tamen est cui sanctus vir innititur principium, cuius observatio non minus sollicite in instituto commendatur et inculcatur.

Ibid.

Vide Constit. p. 6, c. 3. § 5; Congr. 7. Decr. 56; Congr. 8. Decr. 11; Reg. Praep. 47 et 72; Reg. Rect. 68 et 70; Reg. Sacerd. 17. 18, 19 ; Instr. 3. §§ 1—7.

Hinc minus periculi et plus lucri.

19. Si ergo vere cupimus, reverendi Patres et Fratres carissimi, uberiorem ex laboribus nostris percipere fructum, intellegimus ex Indiarum Apostolo quem in operando modum atque ordinem tenere et quod hominum genus praesertim debeamus excolere. Certe si quis ex Societate satis sibi fecisse putaret, ut olim aiebat R. P. Mutius,

dum piis triginta plus minus mulierculis bis terve per hebdomadam confitentibus aures praebet; si quis hac illac cursitans puellarum vel sacrarum virginum coetibus dirigendis adhortandisque unice aut praecipue intendit, nonne dicendum forte erit cum Xaverio, opus illud esse exigui lucri, periculi maximi? Aut saltem in iis operibus " temporis plurimum perdi et certi ac securi fructus colligi perparum „ ? Sunt sane non pauci ex domesticis et externis qui putent Societatem nostram in hac parte detrimentum non mediocre passam esse, sibi assumendo onera quae Dei obsequium impediunt magis quam promovent, quaeque a mente S. Patris nostri et a spiritu constitutionum et vocationis nostrae aliena esse videntur. Pro eo igitur amore quo quisque Societatem diligit, consilia sua quaeso in melius revocet, et quantum in se est, carissimam Matrem in pristinum decus et dignitatem restituat; quod profecto eveniet, si nostram agendi rationem ad normam et exemplum maiorum nostrorum exegerimus, si virorum saecularium et ecclesiasticorum coetus et sodalicia ad pietatem excitare, si rudes et pauperes christianis imbuere praeceptis, si homines denique peccatorum laqueis irretitos exsolvere et ad bonam frugem reducere studuerimus. Laborantes in vinea Domini ne teramus tempus operibus exigui admodum lucri, quando alibi suppetit in quo cum maiore Dei gloria et maiore animarum utilitate illud possimus impendere.

Vid. tom. I, pag. 375.

Occurritur obiectioni.

20. Sed quid, dicet fortasse quispiam, quid, si homines qui potissimum spirituali indigent auxilio, neque ad nos veniunt, neque templa nostra frequentant? — Christus Dominus, dum nos cooperatores sibi elegit in procuranda animarum salute, fecit etiam piscatores hominum. Iam vero piscator non exspectat pisces ad se venientes, sed circuit quaerens ubicumque sint. Ex iis qui vulgares sunt, captat simul suis retibus; qui vero subdoli retia effugiunt, grata allicit esca et singillatim captat hamo; nec taedio afficitur, sed patienter horas et dies sedens ac tacitus producit, ut copiosam faciat capturam. In memoriam revocemus pias et ingeniosas industrias, quibus usus est Xaverius ut perditos homines etiam renuentes et obstinatos perquireret, eosque magno caritatis affectu et invicta patientia ad viam salutis tandem perduceret. Diligentibus quippe Deum et proximum nihil est arduum, nihil difficile.

In Ministeriis habendus delectus.

21. Venio nunc ad ministeria quibus ad lucrandas animas nobis utendum est, et hic brevius rem expedire possum, quia non absimili regula loquitur Xaverius ac de delectu personarum. " Vide autem, *inquit scribens ad Barzaeum*, in delectu ministeriorum, ut semper ea praevertenda ducas ceteris, quorum manifeste latius patet utilitas ." Inde vero duo colligit. Primo docet, quae ministeria a nostris potissimum adhibenda sint: " Itaque, *inquit*, contionari, christianae religionis elementa palam tradere, in sacro tribu-

Lib.4. Epist.4.

nali aures dare confitentibus, officia tibi sunto potissima. „ Deinde exponit, quo ordine haec obeunda sint, et qua lege aliis alia anteponenda ; Haec te regula docebit, numquam praeferendam contioni publicae auditionem confessionis, numquam intermittendam stata quot diebus hora scholam catecheticam, ut aliquem unum privatim adhortere, aut simili vaces officio, singulari personae profuturo. „ Et alio loco inter ministeria quae plus utilitatis habent, enumerat etiam missiones vicatim habitas et exercitia spiritualia rite tradita. Lib. 4. Epist. 4.

22. Et quoniam de spiritualibus exercitiis hic sermo incidit, sinite me pauca de iis pro re nata edicere. Exercitiorum spiritualium utilitas et usus.

Non omnes, sive ex ingenii qualitate sive ex valetudine corporisque viribus, possunt e suggestu et in missionibus confertae multitudini verba facere, aut alia laboriosa sacri ministerii munia obire. Sed utique omnes e Societate sacerdotes possunt exercitia saltem privata tradere. *Omnes* enim, ait S. Pater noster, *operam* dare debent, *ut.... in hoc armorum spiritualium genere tractando, quod tantopere conferre cernitur ad Dei obsequium, dexteritatem* habeant. Scio complures e nostris etiam sine ullo discrimine tradere ubique exercitia spiritualia ; sed unde provenit, quod saepe tam exiguus fructus colligatur ? An illa forsan admirabilem efficaciam, quam olim habuere, amiserunt ? Minime sane ! Ratio vero haec esse videtur, quod prae- Constit. p. 4, c. 8. § 5.

scripta methodus in iis dandis plerumque non servetur, quod ex suo quisque genio et placito ea interpretetur, quod denique non nulli imparati ad illa tradenda accedant, et proinde exercitia pro unius cuiusque captu, aetate, condicione apte nequeant accommodare. Constat enim cum diversis diverso modo agendum esse. Quod si omnes saepius prae oculis haberent *directorium* exercitiorum, si litteras encyclicas R. P. Ioannis Roothaan *de studio et usu exercitiorum* attente meditarentur, profecto invenirent, in hoc genere non pauca utiliter a se corrigenda.

Vid. tom. 2, pag. 365.

Armis a Maioribus usitatis pugnandum.

23. Verum, ut eo redeamus unde digressi sumus, nemo negaverit his legibus quas Xaverius ad mentem S. P. Ignatii Deo inspirante praescripsit, nihil rectius, nihil sapientius, atque ad dirigendum ministeriorum nostrorum usum accommodatius excogitari posse ; quas si omnes usu teneant, uberrimum sine dubio laborum suorum fructum consequentur. Erigamus igitur animos, Patres dilectissimi, et studia nostra ad vocationis nostrae scopum consequendum renovato fervore exsuscitemus. Mundus totus in maligno positus est, operarios strenuos, corde humiles, laborisque patientes tempus postulat. Versatur nobis ante oculos multitudo ingens languentium, caecorum, aridorum, nec desunt paralytici, qui forte ab annis octo et triginta exspectant aquae motum. Passim Dei et Ecclesiae praecepta negleguntur, sanctissimi usus et leges non obser-

Cf. Ioan. 5. 3, 5.

vantur, languet fides multis in locis et alicubi prope exstincta videtur, sunt mores generatim corrupti, effrenata quicquid lubet cogitandi et agendi libertas palam praedicatur, vitia ubique dominantur, pietas christiana iam ad paucos redacta a multis nullo in pretio habetur et *superstitionis* nomine per summam infamiam traducitur. His gravissimis malis, quae in dies crescunt, pro virili parte occurrere nobis incumbit, Patres reverendi. Resistamus fortes in fide, causam religionis et animarum salutem strenue propugnantes, et quae solidiora et maioris sunt momenti potius quam levia et parva eligamus ; veritatem magis quam speciem unusquisque consectetur. Et sane nonne pietatis specie decipi dixerimus illum qui, in tanto fidei morumque discrimine, in tanta animarum clade, vel cultum aliquem novi nominis unice curet diffundere, vel novae cuiusdam rationis sodalicio condendo operam omnem suam impendat, *Institutoris* nomen et famam captans, vel etiam totus sit in piis quibusdam chartulis, miris symbolis, icunculis hisque similibus distribuendis, quae licet pietatis aliquod forte incitamentum habent, non magnam tamen utilitatem parere, nec immensis huius temporis malis opportunum remedium afferre valent. Cavendum magnopere est ne in Societatem nostram sese insinuet libido illa novitatis, quae ita huius temporis est propria, ut res etiam sanctissimas non raro corrumpat. Sunt etenim, qui novis

devotionis pietatisque formis excogitandis ita abripiantur, ut antiquiora devotionis exercitia ab Ecclesia commendata fere fastidiant, et tum maxime Deo obsequium reddere et animarum saluti prospicere sibi videantur, cum quaedam sua inventa, aliqua fortasse pietate conspersa, sed non semper satis solida, et ipsi colant et aliis colenda persuaserint. Nos autem, Patres dilectissimi, vestigiis maiorum et Ecclesiae usibus inhaerentes, ab his novitatibus errori et deceptioni plerumque obnoxiis abhorreamus, et vetera instituta, quae ab Ecclesia commendata et a viris sanctissimis diu probata sunt, quaeque experientia duce solidam uberemque utilitatem populo christiano afferunt, omni studio et sedulitate sectemur. Instructiones catecheticae, contiones fructuosae campestres, exercitia spiritualia, congregationes Marianae, maxime adulescentium et virorum, exercitia bonae mortis, et alia huiusmodi fuerunt arma efficacissima, quibus patres nostri vitia et vitiosos homines debellarunt. His armis etiam nos quoque utamur, si eadem victoriae laude gloriari velimus.

Propria perfectio optimum remedium salvandi animas.

23. Tandem, ut finem scribendi faciam, illud quam maxime moneo et ex toto cordis affectu commendo, ut quisque nostrum serio apud se recogitet sibique persuadeat nihil se vel parum in procuranda animarum salute profecturum (etiamsi personarum et ministeriorum delectum quem diximus observet), nisi simul sanctis nos-

traeque vocationi propriis remediis ad religiosas virtutes acquirendas se excitare et ad perfectam cum Deo coniunctionem studeat pervenire. Atque ut hunc scopum facilius consequamini, hic non possum quin vos, ut ad Sacratissimum Cor Salvatoris nostri Iesu Christi fidentes accedatis, sollicite invitem. Divino consilio lancea latus eius apertum est, ut liber nobis pateat ingressus. In hoc divini amoris pelago gratias invenietis, quibus et ipsi vestras sanctificetis animas, et fidelium corda ad paenitentiam de peccatis et ad Dei amorem perducatis. Devotio haec non nova dicenda est, sed nata in cruce morientis Domini, admirabili divinae misericordiae consilio nostro tempori reservata, ut iustitiam Dei tanta omnis generis iniquitate et ingratitudine ad vindictam provocatam placare et misericordiam impetrare valeamus. Benignissimus autem Salvator, singulari prorsus erga nos favore, nostrae Societatis hominibus committere dignatus est ut hanc sanctissimam devotionem ipsi impense colant et per totum mundum propagent. Agite ergo, Patres Fratresque carissimi, ad hunc gratiarum omnium fontem avidi curramus, haurientes in gaudio aquas salutis, ut in amore Dei et vitae sanctitate roboremur et constanter crescamus, ac aptiores cotidie reddamur ad alios quoque multos ad vitae sanctitatem perducendos. Neque enim puto alienae saluti apte consulturum qui suam neglegit, neque memorem fore aliorum qui obliviscitur sui.

Quantum iuvet cultus SS. Cordis.

Quocirca si vere apta instrumenta esse velimus ad maiorem Dei gloriam propugnandam et dilatandam, cotidie renovemur spiritu vocationis nostrae. Coniungamur Deo, ut ipse nos dirigat ; nullum diem rerum divinarum meditatione et conscientiae examine vacuum sinamus praeterire. Cotidie nobiscum reputemus num in divino obsequio, nostroque peculari officio, legumque nostrarum custodia fuerimus fideles ; num forte in quapiam re deliquerimus ; ut exinde pateat si quid nostro vitio impediverimus, quominus infinita Dei bonitas uberiorem nobis gratiam in procuranda aliorum salute largiretur.

Praecipue curandi et iuvandi dispersi.

25. Atque haec quidem vobis omnibus quotquot estis, Patres Fratresque carissimi, dicta velim ; potissimum vero eorum sollicitus sum qui in dispersione vivunt, eorumque calamitatem eo fero aegrius quo diuturnior est, nec evenire potest sine spiritus iactura, sine vitae religiosae vel etiam vocationis periculo aut certe detrimento. Vix enim fieri existimo, ut religiosus in mundo versetur diu, quin, nisi singulari modo sibi caveat, mundano pulvere aspergatur. Vos ergo, Patres Fratresque dilectissimi qui mecum in dispersione vivitis, vos prae omnibus adhaerere Deo necesse est, et ab eo enixis precibus postulare ut hanc tristem necessitatem, qua filii e sinu matris exsulare coguntur, benigne contrahat ; quam diu vero perduret saeva tribulatio, potenti auxilio suo ita vos Dominus regat et protegat, ita vobis opituletur,

ut stabiles sitis semper in bono, et Societatis nostrae dilectae Matris filii numquam degeneres inveniamini.

Quod si omnes, etiamsi in religiosa domo vivant, necessitate laborant spiritum constanter excolendi, ut in virtutibus conserventur et proficiant, quanto magis vos his spiritualibus auxiliis indigetis, qui in saeculo et inter saeculares homines, praesidio vitae communis destituti vinculisque domesticae disciplinae ferme soluti, vitam agere coacti estis ! Cogitate et numquam excidat memoria, bonum odorem et famam Societatis a vobis magna ex parte dependere. Omnium oculi ad vos convertuntur, omnes vos vestrasque actiones universas attente observant atque scrutantur. Quare iisdem verbis quibus Xaverius suam ad Barzaeum concludit epistolam, meam quoque concludam. Unusquisque vestrum memor sit se Societatis Iesu esse membrum, atque ideo omnibus in factis dictisque tali capite et corpore dignus exsistat. Et ut haec sanctissimi viri vota in vobis impleantur, vobis omnibus a Domino caelestium donorum abundantiam precor, et me omnemque Societatem sanctis sacrificiis et orationibus vestris commendo,

Reverendi Patres et Fratres dilectissimi.

Die X Decembris, M. D. CCC, LXXV.

Vestrum omnium servus in Christo,

PETRUS BECKX

EPISTOLA

R. P. N. PETRI BECKX

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

DE IIS QUAE PRAESTANDA SUNT IN PRAESENTI TEMPORUM CALAMITATE

Persecutio in Ecclesiam et ordines religiosos, et in primis in Societatem nostram,

1. Arcano divinae sapientiae consilio in ea incidimus tempora, Patres Fratresque carissimi, in quibus infensissimi Dei et Ecclesiae hostes nihil intentatum relinquunt, tum ut sanctissimae religionis dogmata quae vel ad fidem vel ad mores pertinent, tum Ecclesiae Catholicae et Summi Pontificis auctoritatem et iurisdictionem, ac denique in universum omnes religiosorum ordines et in primis Societatem nostram, omni qua possunt ope impetere et evertere conentur. Atque ut de nobis tantum hic dicam, quas iam a triginta et amplius annis in plerisque regionibus tribulationes, angustias, vexationes, exsilia, proscriptiones patiamur non est hic locus commemorare, cum vos

omnes vel testes ex auditu, vel participes horum omnium fueritis et modo etiam sitis. Ingravescit cotidie magis et latius diffunditur calamitas et persecutio, adeo ut nullus iam locus nullaque ferme orbis terrarum regio ab ea secura remanserit, et quem tandem finem sit habitura prorsus nescimus. Sed in tanta rerum perturbatione gentiumque pressura, erecto et alacri animo nos esse oportet, omnem sollicitudinem nostram reponentes in Christo Iesu Domino nostro, qui *faciet cum tentatione proventum.*

cotidie ingravescens.

1. Cor, 10, 13.

Saepe alias pro debito officii mei, datis litteris ad provinciales et ad universam Societatem, hortatus sum ut cum humilitate et patientia suscipiamus de manu Domini adversa omnia; et non sine magna animi mei laetitia accepi, generatim omnes sese non degeneres Societatis et S. P. Ignatii filios in amplectenda Cruce praestitisse, *gaudentes pro nomine Iesu contumeliam* et persecutionem *pati.* Cum itaque omnes videam in hac re bene animatos, nihil modo addendum arbitror, nisi ut divinae bonitati pro tanto munere iterum iterumque gratias referam, et vobis omnibus ad haec constanter ferenda novos stimulos adiciam. Utile autem fore existimo, si hac occasione vobis breviter exponam quae in praesenti temporum calamitate praestanda a nobis mihi videntur, vel quod attinet ad socios qui e domibus eiecti coguntur alias nationes adire, vel quod ad procurandam impense in his rerum adiunctis tum

Cf. Act. 5, 41

praebet huius novae epistolae argumentum.

proximorum salutem, tum propriam perfectionem quae nostrae vocationi plane respondeat.

Coacti iuvenes nostros in alias regiones amandare,

2. In iis locis ubi lege civili suppressi sunt ordines religiosi et per summam vim e propriis sedibus eiecti, necessitas nos coegit ut nostros praesertim iuvenes in alias regiones amandaremus, quo facilius institui possent in iis quae spectant ad artium et scientiarum studia excolenda, et ad conservandum augendumque vocationis spiritum in quieta et opportuna virtutum exercitatione. Huiusmodi autem necessitas gravissimum quidem nobis attulit incommodum, quod multis difficultatibus et detrimentis obnoxium esse video ; sed quia non alia ratione occurrendum erat, hinc operae pretium videtur esse oblatam licet invitis occasionem arripere, qua possimus, consiliis divinae providentiae obsequentes, iuventutem nostram secundum leges et normam instituti exactius instituere ac rite efformare. Neque enim vos latet in quibusdam provinciis adeo aucta et multiplicata fuisse collegia et seminaria, ut tanto oneri sustinendo impares essent socii iam bene formati. Hinc superiores, necessitate pressi, non dubitarunt vel novicios nondum exacto tirocinii tempore, vel scholasticos e medio studiorum curriculo, ad docendum aut pueris et alumnis invigilandum educere ; qua certe agendi ratione, quam litteris meis die 6 Ianuarii 1870 datis improbaveram, id tandem factum est, ut aliquae provinciae in

utamur hac necessitate, ut recte instituantur :

quod quamvis difficile fuerit ante,

tanto sociorum numero idoneos non habeant operarios et professores, quibus prudenter committi possit munus docendi litteras et scientias, et sacra ministeria, praesertim praedicationis verbi Dei, cum dignitate et Societatis existimatione exercendi. Doleo sane hanc curam adeo praetermissam fuisse, licet non semel tantum, sed pluries et repetitis hortationibus et ordinationibus a me fuerit enixe commendata. Perpauci in aliqua provincia habentur socii, quibus uti liceat in tradendis philosophicis ac theologicis disciplinis, ita ut si revocarentur lectores ex aliis provinciis advecti qui nostros iuvenes docent, nullus forte inveniretur qui huic oneri cum laude sustinendo par esset. Quid porro dicam de contionatoribus ? Multi quidem sunt, qui hoc munere funguntur ; sed an bene et ex praescripto nostrarum legum, valde dubito. Cum enim recte et ad normam Instructionis iussu Congregationis V editae instituti non fuerint, timendum est ne quidam sine sufficienti doctrina et praeparatione accedant ad hoc ministerium ; alii non praemeditata et accurate disposita oratione, sed ex tempore et inordinate verba faciant ; alii denique leviora argumenta, verborum lenocinia, eamque dicendi formam sectentur quae hoc tempore plerumque invecta est, quaeque vel gravitate vel soliditate carens auditorum aures demulcet, nec optatum fructum pro animarum salute consequitur. Quantum vero haec omnia

nihilo minus dolemus fuisse praetermissum.

Instruct. 2.

bono Societatis nomini et existimationi detrahant facile quisque potest cognoscere.

3. Strenue igitur agant Praepositi Provinciales, ut huic malo procul dubio gravissimo nunc opportunum remedium afferatur. Et in primis prae oculis habeant quae in praedictis litteris anni 1870 *de admittendorum delectu deque recta admissorum institutione* scripsimus ; eorumque omnium accuratam fidelemque exsecutionem curent. Moneant examinatores ut severe potius quam remisse officio suo fungantur, nec candidatos probent, nisi inspecta intime eorum indole, ingenio, ceterisque animi et corporis dotibus, quae ad hauriendum genuinum Societatis spiritum et ad ministeria cum fructu et laude exercenda necessariae et aptissimae sint. Et quoniam hoc tempore non pauci sese offerunt adulescentes nostris hominibus prorsus ignoti, qui in publicis exterorum lyceis aut alibi inter contubernales forte solutioris vitae educationem receperunt, antequam hi examini subiciantur et probentur, inducendi sunt ad exercitia spiritualia per aliquot dies peragenda, tradendique discreto et prudenti moderatori, qui, statu eorum animae rite cognito, poterit suaviter eos admonere, an Societatem ingredi illis expediat, an non : ne vitiis assueti maiore suo damno et infamia a Societate egredi, vel expelli postea cogantur.

Sedulo examinentur Candidati.

4. Magistri autem Noviciorum omnem curam et diligentiam adhibeant ut iuvenes in tirocinium

Diligenter probentur Novicii.

admissi pro temporis ac loci opportunitate consuetis experimentis rite probentur, ut instituti et regularum cognitionem sufficientem habeant, ut solida fundamenta tempestive iaciant religiosae perfectionis; proponantque ipsis ad aemulationem exempla maiorum, quae luculentissima habentur et leguntur in historiis generalibus Societatis, et in particularibus sanctorum et venerabilium nostrorum. Sedulo et continenter exerceantur Novicii in virtutibus assequendis et excolendis, praesertim modestia, humilitate, oboedientia et mortificatione. Societas enim homines expetit demissos, continentes, moderatos, et omnibus rebus, a quibus vitiosa abhorret natura, victores sui. Sine iis quippe virtutibus certum est neminem nec Deo carum acceptumque, nec sibi aut aliis utilem fore, nec aequo quietoque animo in Societate victurum. Proinde intellegant novicii sibique persuadeant in sui ipsius cognitione multum ac diu versari oportere, ut fibris pravarum cupiditatum avulsis, verae humilitatis et virtutis semina in animis ipsorum radices altius agant. Si qui vero progressu temporis reperiantur, qui ob indolis pravitatem, iudicii proprii pervicaciam, aut impotentis naturae inconstantiam, aliasve ob causas et vitia votis omnino non respondeant, videant Provinciales ut mature e Societate dimittantur, nec vana spe decepti atque imprudenti caritate moti, sinant eos diutius cum Societatis detrimento retineri.

Iunioribus recte formandis.

5. Eadem ferme cura ac vigilantia utantur

superiores cum iis qui e tirocinio egressi ad studia humaniorum litterarum applicantur. Per biennium, ut plurimum, sicut praescribit Ordinatio P. Claudii, sint ab aliis omnino segregati, atque ita exculti ut fervorem spiritus et devotionis, quem in domo probationis hauserunt, nedum conservare sed in dies augere possint. Quod autem pertinet ad eorum studia linguae latinae et graecae, nec non oratoriae artis atque poeticae, praeficiantur praeceptores aptissimi, qui non solum in his facultatibus emineant ipsi insigniter, verum eas tradere ac complanare sciant. Non enim bonos tantum discipulos, sed etiam bonos efficere magistros debent. Quod eo vehementius commendatum volo, quod viderim in aliquot provinciis studia litterarum non parum neglegi, maxime autem usum elegantioris linguae latinae paene obsoletum, ita ut vel pauci sint qui iam purgate et eleganter scribere aut dicere valeant. Qua itaque ratione alios docebunt quod ipsi non didicerunt ? Maiores certe nostri plurimum in his studiis excolendis allaborarunt, et libris tum soluta tum ligata oratione editis non mediocrem hac in re sibi laudem et Societati existimationem pepererunt. Ex quo licet existimare quanta a nobis ope studioque annitendum sit, ne quo umquam tempore tam insigni ornamento et quasi Ordinis nostri praerogativa careamus. Quare Congregatio XIV communi omnium consensu enixe

Praeceptores aptissimi assignentur,

et urgeatur linguae latinae usus.

commendavit, " ne umquam apud nos langueret studium litterarum humaniorum, quod tanta cum laude hucusque coluit Societas, cuique debet tum collegia quam plurima, tum non exiguam nominis existimationem, tum fructum animarum, dum huius disciplinae tradendae occasione, pietate ac bonis moribus iuventus instituitur ." Curent itaque Praepositi Provinciales ut iuniores nostri tum in patrio sermone tum in lingua latina et graeca diligenter ac solide instituantur, propositis non quibuscumque sed veterum praesertim scriptorum probatissimis exemplaribus ; et si provincia in promptu non habeat apprime idoneos praeceptores, " quaerant aliunde " ex altera Provincia " sibi suppeditari " ut in actis authenticis monuit eadem Congregatio XIV ; nec forte putent dedecoris notam provinciae inuri si exterorum quandoque subsidia corrogentur.

Sensus hac in re Congregationis XIV

Decr. 10. Cf. P. Claudii, Instr. 20, et P. Iuvencii Ratio discendi et docendi.

Act. 31.

6. Et quoniam hic sermo incidit de hoc inconsulto propriae provinciae amore, cuius iam aliqua semina suboriri audio, sinite me, Patres Fratresque carissimi, a suscepto argumenti proposito tantisper deflectere. Dicam quod sentio : gaudeo ac vehementer laetor adesse generatim in universa Societate spiritum caritatis unionemque animorum ; sed doleo etiam sese hic et illic prodere et manifestare, non in omnibus, sed in aliquibus, spiritum quendam, ut ita dicam, nationalem et provincialem. Ex una in alteram saepe

Digressio de spiritu nationalitatis,

nationem aut provinciam mittuntur strenui ac docti operarii; sed non aeque ac ceteri benigne ac benevole excipiuntur, neque in pretio habentur eorum opera et labores; immo eorum agendi ratio, mores, aut etiam naturales defectus, quos unaquaeque natio proprios habet, carpuntur et exaggerantur. Non raro etiam accidit, ut in exteris quoque missionibus, qui de eadem natione et provincia sunt, favorem et patrocinium amplissimum inveniant, cum interim alii, donis licet et virtutibus haud absimiles, velut extranei ignotique neglegantur; idque nulla alia potius causa quam patriae ac provinciae diversitate. Quod si Provinciales ac domorum superiores, omni etiam exceptione digni, praeficiantur ex altera provincia, non raro audiuntur non nullorum querelae, quod non satis consultum sit honori et decori propriae provinciae, quae tot alios habeat merito pares, et forte etiam superiores.

Haec, inquam, semina divisionis, quae aliquibus in locis suboriri videntur, nemo est qui non videat magnum detrimentum Societati allatura esse, nisi radicitus evellantur. Sunt enim fraternae caritati et perfectae oboedientiae contraria, et a spiritu Societatis prorsus aliena.

a spiritu Societatis prorsus alieno.

Ponite ante oculos, Patres Fratresque carissimi, exempla praeclara primorum patrum, qui licet collecti ex variis nationibus et eo tempore inter se dissidentibus, tamen adeo usque ad mortem perstiterunt vinculo caritatis coniuncti, ut essent

cor unum et anima una: unde potuit S. P. N. Ignatius, nulla habita ratione nationis, provinciae, antiquitatis, Romano Collegio Gallum imponere, Hispanum Parisiensi, Perusino Belgam, Florentino Helvetum, Mutinensi Hibernum, et Romanae Provinciae Paschasium Broët, Iacobum Laynez, Christophorum Rodriguez, et sic in aliis locis, nullo non solum reclamante, sed mirum in modum omnibus probantibus. Quam sancti patris agendi rationem secuti sunt eius immediati successores, ut videre est in elenchis provincialium et superiorum, qui continuo ad nostra ferme tempora praepositi sunt. Sed hac de re longius fortasse quam par erat. Necessarium tamen duxi aliqua verba facere, cum hoc dispersionis tempore adeo frequens sit sociorum transitus de una in alteram nationem et provinciam. Ceterum iam R. P. Goswinus Nickel satis longam et accuratam scripsit epistolam *de nationali provincialique pernicioso spiritu in Societate vitando*, quae, cum exstet inter editas Generalium litteras, quisque poterit eam privatim et cum fructu legere et meditari.

Act. 4, 32.

Ep. PP. Gen. tom. 2, p. 102.

Ut Scholastici disciplinis philosophicis et theologicis rite instituantur,

7. Nunc ut eo redeamus unde digressi sumus, restat ut de institutione scholasticorum qui Philosophiae ac Theologiae dant operam pauca dicamus. Iam vero quae de triennali philosophiae, de quadriennali scholasticae theologiae studio, de circulis, repetitionibus, privatis et publicis disputationibus, aliisque omnibus quae vel ad scientiarum studia promovenda

vel ad spiritum religiosae perfectionis conservandum, tum in ratione studiorum tum in Ordinationibus Generalium statuta sunt, curandum est ut fideliter exsecutioni mandentur. Tempestive admoveantur scholastici nostri ad haec studia, dum adhuc per aetatem et ingenium vividiores sint, nec inde amoveantur nisi confecto studiorum cursu; neque eodem tempore alienae ab instituto curae et officia ipsis committantur, quae mentem animumque a studiis avocent. Satis enim ferunt oneris, si tantum suo non desint muneri, nec multum habent temporis quod aliis rebus impendant. Si qui vero acriore ingenio polleant, et non mediocrem de se exspectationem exhibeant, curet Provincialis ut deinde per biennium studia accuratius recolant, et lectioni vacent sanctorum patrum et probatissimorum auctorum, ut deinceps utiliter assumantur ad docendum vel ad alia Societatis ministeria, quae non vulgarem doctrinam et eruditionem exigunt. Singulis annis quaestionum explanandarum elenchus proponatur eo ordine ac dispositione distributus, ut intra triennium et quadriennium universae philosophiae et theologiae cursus absolvatur, invigilentque studiorum praefecti ut singuli professores materias sibi assignatas intra annum omnino expleant, ne privato studio et exiguo fructu cogantur postea scholastici quae forte difficiliora sunt ex se ediscere, et in examine defendere. Utamur hoc dispersionis tempore ad

tempestive mittantur ad studia;

aptissimi autem per biennium ea recolant;

formandos idoneos in vinea Domini ministros, quibus, stante collegiorum multiplicitate, diu carebamus. Ad id autem assequendum pro Dei gloria, Societatis emolumento et animarum salute, studeant lectores philosophiae et theologiae solidam et uniformem doctrinam discipulis tradere, caveantque ab omni novitate opinionum introducenda. Quae duo facili ratione haberi poterunt, si doctrina Angelici Doctoris in utraque facultate, philosophica et theologica, probe teneatur, prout constitutiones nostrae et decreta congregationum generalium clare praescribunt, accedente pluries manifestata voluntate SS. D. N. Leonis PP. XIII. Iam meis litteris ad Provinciales datis, die 4 Octobris et 1 Novembris 1878 et 20 Iulii 1879, mandaveram ut ubique locorum secundum hanc regulam et formam instaurarentur studia in Societate ; et magnopere laetor filios oboedientiae superiorum nutui obsecutos esse. Sed non sine aliquo animi dolore audio, quosdam hac illac inveniri adhuc qui praeconceptis opinionibus sententiisque insistentes, nedum animo interne detrectant huic sese dispositioni accommodare, sed, quod gravius est, interdum alios imprudenti loquendi ratione conantur avertere. Aliter sentirent huiusmodi homines, bono alioquin ingenio praediti, si perturbatae mentis aestu deposito, vellent humiliter sese in aliorum, a quibus recte informari possent, disciplinam tradere, et animo quieto et docili S. Thomae doctrinam, quam tot

Lectores doctrinam S. Thomae sequantur.

Serio monendi qui aliter sentiunt et loquuntur.

insignes auctores nostri professi sunt, quamque
Decr. 41. Congregatio V tamquam propriam Societatis declaravit, intime scrutari, intellegere et percipere : secus enim suspicari quis posset, eos (sit verbis venia) carpere quod ignorant. Interea hic agendi et obloquendi modus nulla ratione ferendus est; et Provinciales ceterique superiores contra contumaces, si qui in posterum exsistent, serio animadvertant, nec patiantur eos impune abire. Ceterum, ut verbis utar quibus R. P. Ignatius Vicecomes
Cong. 17. iussu Congregationis hortatus est socios ad hanc doctrinam retinendam, " non video quid a suis exigere posset Societas aequius ac iustius. Si enim unam aliquam esse apud nos decet formam philosophiae, cur eam repudiemus, quae neque ulla non solubili difficultate, neque,
Hortatio R. P. Ignatii Vicecomitis. si intellegatur probe, recentioris physicae experimentis luminibusque adversatur ; cum praesertim in scholarum nostrarum possessione sit antiquissima, et tantam habeat ab doctorum approbatione et consensu auctoritatem, quantam alia certe nulla ad hoc usque tempus obtinuit. Nulla quidem certe apparet iusta repugnandi causa ; sed etiamsi aliter alicui videretur,
Litt. 17 Julii 1732. apud filios Societatis, qui perfectionem oboedientiae maximam profitentur, satis causae esse debebit ad parendum, quod sciant ita velle moderatores, quorum nisi voluntati obtemperaverint, ut multum sibi placeant de inani scientia rerum naturalium, fructum tamen

omnem studiorum ac laborum suorum miscre perdent .„

8. Venio ad id declarandum quod secundo loco propositum est ; nempe qua ratione his calamitosis temporibus proximorum saluti utilius vacare possimus. Multis in locis, ut probe nostis, Societas nostra lege civili suppressa est. Hinc domus, collegia, templa, et ipsa etiam domestica oratoria vel fisco adiudicata, vel clausa et publico sigillo obsignata ; sociique ferme omnes hac illac dispersi asylum in privatis amicorum et benefactorum aedibus sibi quaerere coacti sunt. Haec autem omnia sine ulla prorsus iuris aequitate et causae cognitione, sed per summam vim peracta sunt, frustra reclamantibus tum voce tum scripto ipsis iuris publici peritissimis. Nec aliud, Deo permittente, exspectare licebat. Constat enim iam diu Ecclesiae hostes et praecipue sectarios omnes in suis conventiculis consilium iniisse ac plane decrevisse, religiosos ordines et in primis Societatem nostram per fas et nefas omnino perdere, ut, quod in votis habent, facilius populos his praesidiis destitutos ad eiurandam catholicam religionem morumque honestatem depravandam adducerent. Est igitur quod nobis gratulemur, Patres Fratresque carissimi, cum haec adversa patiamur *propter iustitiam* et propter sacrum ministerium, quod iuvante Deo in animarum salute procuranda impendimus. *Beati eritis*, ait Dominus, *cum separaverint vos, et exprobraverint, et*

Quid erga proximos praestandum.

Licet Societas e domibus ac templis suis eiecta sit.

Luc. 6, 22. *eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis.* Quod adeo ad litteram factum esse videmus, ut adversarii, qui ceteroquin erga alios Christi ministros mitiores esse solent, cum de nobis agitur, severiores et crudeliores sese ostendant, non aliam utique ob causam nisi *propter Filium hominis*, qui nos in sui nominis suaeque Crucis communionem vocare dignatus est.

non ideo cessare debemus, sed magis nos impendere ad exemplum Apostoli.

9. Exturbati igitur a domiciliis ac templis nostris non ideo cessare debemus, ut omni qua possumus ope, et *impense*, ut praecipiunt constitutiones, ad animarum salutem et perfectionem, quae hoc praesertim tempore maxime periclitatur, incumbamus ; immo quo maiora sunt impedimenta et acriores persecutiones, eo magis alacri animo in hoc opus nos totos debemus impendere, hoc est vires omnes ac nervos, et quicquid valemus et sumus. Ita enim in medio persecutionum aestu sese excitabat Paulus apostolus : *In omnibus tribulationem patimur, sed non*
2. Cor. 3, 8, 9. *angustiamur ; aporiamur, sed non destituimur ; persecutionem patimur, sed non derelinquimur ; diicimur, sed non perimus.* Qui vere ardet animarum zelo, infinitas propemodum vias, rationes, industrias, occasiones captat, ut eis subveniat. Primi nostri patres iussu Apostolicae Sedis in Germaniam, in Galliam, in Hispaniam, in Indiam missi, cum nulla adhuc haberent aedificia ac templa suis usibus accommodata, uberem tamen messem et fructum copiosissimum ubique rettulerunt. Pos-

sumus itaque et nos in alienis ecclesiis de consensu Episcoporum et Curionum sacramenta ministrare, contiones habere ; possumus exercitia spiritualia tradere, et pueros rudemque plebem christianae fidei praeceptis et rudimentis imbuere ; possumus sacras expeditiones suscipere et circuire vicos et castella praedicantes *Evangelium regni* ; possumus, qua privatis qua publicis colloquiis et hortationibus omne hominum genus, divites, pauperes, iuvenes, senes a daemonum stipendiis ad christiana signa traducere, vel pravis falsisque opinionibus imbutis evangelicae veritatis lumen ostendere, aliosque e caeno vitiorum emersos et ab improborum pestilenti consortio avulsos ad bonam frugem convertere. Hae sunt partes nostrae, haec munera, Patres Fratresque carissimi, secundum finem quem sibi proposuit Societas. Cum satis multi adsint operarii nostri, qui hoc potissimum dispersionis tempore aliis occupationibus in collegiis, in scholis, in lectionibus non detinentur, cur non se totos in procuratione aeternae salutis proximorum devoveant?

Plura enim ministeria exercere possumus.

10. Sed *de animarum zelo et de ratione eas iuvandi* satis iam scripsi in postrema Encyclica ad universam Societatem. Vellem tamen, ut quisque nostrum eas litteras saepius haberet in manibus, et attenta consideratione meditaretur ea omnia quae S. P. Franciscus Xaverius, divinae gloriae et salutis animarum studiosissimus, ex eodem spi-

Encyclica de zelo animarum praemanibus habenda.

Vid. pag. 238. huius tom. III.

ritu, quo sanctus legifer noster ardebat, praecepit de delectu habendo, tum circa personas quae prae ceteris excolantur, tum circa ministeria quae potissimum a nostris operariis exercenda sunt. Ex his enim pendet copiosior fructus, quem a laboribus nostris referre possimus. Non pauci errore quandoque ducuntur, nec suae vocationis finem assequi videntur, dum putant se aliquid magnum agere, cum, neglectis iis quae maioris momenti sunt quaeque solidam uberemque utilitatem afferunt, levia quaedam et nova pietatis et devotionis opera et ministeria consectantur studiosissime. Multo etiam magis falluntur, qui specie quadam zeli et utilitatis decepti ministeria quaedam exercenda suscipiunt, quae vel aliena sunt ad instituto, vel legibus nostris expresse vetantur ; cuiusmodi est, virginum Deo devotarum aut quarumcumque mulierum in communi viventium curam spiritualem habere, earumque confessiones ordinarie audire. Animadverti iam ab aliquo tempore in catalogis quarundam provinciarum notari confessores extraordinarios monialium. Iam vero, si ea verba stricte sumantur, quod bis vel ter in anno ex ordinariorum dispositione nostri accedant ad monasteria et confessiones audiant, non est cur temporaneum hoc munus inter officia Societatis propria inscribatur. Quod si latiore sensu intellegenda sint de confessionibus ordinariis, non est tolerandum ut a nostris admittatur. Volui pluries hac de re scribere, praesertim

Levia et nova non consectanda ;

multo minus quae aliena ab instituto : qualis est cura Monialium aut quarumcumque mulierum in communi viventium.

cum aliquot dubia circa hoc caput mihi proponi saepe viderem ; sed nunc, data occasione, paulo fusius aperiam quod sentio.

Quid senserit hac de re S. P. Ignatius,

11. Nostis S. P. Ignatium, cum iussu Pontificis Pauli III curam suscepisset quarundam feminarum, non longo post tempore experientia edoctum quantum detrimenti Societas caperet ex huiusmodi procuratione, impetrasse ut ab ea in posterum Apostolica auctoritate immunis esset. In supplici enim libello Pontifici oblato ait : " Devoti Sanctitatis Vestrae oratores, Praepositus et presbyteri Societatis Iesu... animadvertentes hoc unum esse magnum impedimentum ceteris officiis in obsequium Dei sibi incumbentibus ex ipso principali Sanctitatis Vestrae instituto, et cum adhuc haec cura exordiri incipiat atque impediri posse videatur, et parvum impedimentum in principio possit deinceps maius fieri ; ad beatissimos Sanctitatis Vestrae pedes humiliter recurrunt, supplicantes de gratia speciali, ut in eorum institutione et Societatis confirmatione, quae pro expressa habeatur de verbo ad verbum ac exprimi possit, dignetur declarare ac decernere, magnum esse impedimentum ceteris officiis et obsequiis Dei sibi incumbentibus ex ipso Societatis nostrae principali instituto, curam aliquam monialium, vel sororum, seu quarumcumque mulierum suscipere, aut ipsorum votum aliquod vel oboedientiam recipere;

eius ad Pontificem libellus supplex.

ipsosque ad huiusmodi curam mulierum suscipiendam nullo modo teneri debere, nec eorum instituto et Societati expedire. „ Libentissime votis annuit Pontifex, et in Bulla *Licet debitum* expresse declaravit : " Quod (nullam) curam monialium, seu religiosarum quarumlibet personarum recipere teneantur, per litteras Apostolicas impetratas, vel in posterum impetrandas, nisi de hoc indulto et ordine sociorum huiusmodi, expressam facientes mentionem, auctoritate et tenore praedictis, de speciali gratia indulgemus. „ Hinc S. Pater conceptis verbis ita statuit : *Cum homines huius Societatis parati esse debeant ad discurrendum per quamvis mundi partes, quo fuerint a Summo Pontifice vel a suis superioribus missi ; non debent curam animarum neque item mulierum religiosarum, vel aliarum quarumcumque suscipere, ut ordinarie illarum confessiones audiant, vel ipsas regant : quamvis nihil repugnet, semel unius monasterii confessiones ob speciales causas audire.*

Summi Pontificis declaratio.

Quid in Constitutionibus statuatur.

Part 6, c. 3. §. 5.

In hac itaque re unice datur nobis facultas audiendi *semel et ob speciales causas* monialium confessiones ; quam exceptionis clausulam ita interpretati sunt praedecessores nostri : " Non prohibentur nostri per voculam *semel* ter in anno, et saepius diversis annis eas audire ; sed eo loco idem est semel, ac *subinde et non ordinarie.* „ Ceterum in sententia avertendae a Societate procurationis monialium aliarumque

Exceptionis interpretatio.

Resp. Gen.

feminarum adeo constans perstitit S. P. Ignatius, ut nullis neque precibus, nec beneficiis, nec auctoritate hominum gravissimorum dimoveri umquam potuerit. Quod ut exemplis planum fiat, pauca referam quae in historia Societatis habentur. Florebat Barcinone in Hispania nobile monasterium religiosarum quae summo studio ab Ignatio postularunt ut ipsarum Societas oboedientiam admitteret, eaque de re scribi etiam a P. Antonio Araozio voluerunt, qui morem eis gerendum censuit. At Ignatius non modo feminarum postulationi non obsequendum, sed Araozium insuper accusandum arguendumque putavit qui ad id negotii, quod ab huius disciplinae rationibus plurimum abhorreret, quoquo modo propendere animo visus esset. Praeterea matrona quaedam praeerat Ferrariae cuidam congregationi mulierum et puellarum, et nostros urgebat ut earum audirent confessiones semel in mense ; et quamvis religiosae non essent, quia tamen in communi vivebant, non est visum P. Ignatio ad instituti nostri rationem eas audire.

Quomodo se gesserit S.P. Ignatius.

Hist. Soc. P.I, lib. 9. n. 74 Cartas de S. Ignacio vol.II. pag. 179.

Ribadeneira Vit. S. Ignatii lib. 3, c. 13. Litt. S. P. ad Ferrariae Ducem 11 Iul. 1551.

12. Hinc etiam excluditur opinio quorundam, qui putant vetitam quidem nobis esse curam mulierum, quae religiosae sint et clausurae lege teneantur, non item aliarum, quae vel hac lege solutae vel in gynaeceis aut conservatoriis vivunt. Non est hic certe genuinus constitutionum sensus. Rogata enim Congregatio generalis VII „ ut de efficaci remedio aliquo provideret, ne

Nonclaustrales tantum, sed quaecumque in communi vivunt arcendae a nostrorum confessionibus : ut expresse decrevit Conregg. 7.

Decret 56. Nostros circa mulierum curam certis locis certisque inter se legibus in una domo conviventium occupari et distineri paulatim permitteret „ respondit ac Decreto sancivit, “ fortiter his initiis occurrendum ; cum cura qualiscumque talium constitutionibus part. 6. cap. 3, §. 5, regulisque 47 Praepositi, 68 Rectoris, ex professo videantur adversari ; periculisque haec res sit non vulgaribus, multorumque oblocutionibus exposita ; maxime quod haec cura alienissima semper a Societatis instituto ministeriisque habita fuerit. Quare serio superiores omnes monitos voluit, ut ab omni illarum directione ac promotione abstineant, neque suorum quemquam quocumque praetextu patiantur illarum se rebus miscere, aut quamcumque talium curam suscipere, aut peculiari modo favere ant dirigere ; sed circa illas eo se modo habeant, quo circa alias templum nostrum promiscue frequentantes. Rogavitque eadem Congregatio R. P. nostrum, ut si qua necessitas occurreret, Suam Sanctitatem de Summorum Pontificum Pauli III, et Iulii III voluntate, deque gravibus ex hac re incommodis damnisque merito timendis informare dignaretur, simulque omni studio invigilare huic malo, eaque remedia adhibere quae in hanc rem validissima et certissima iudicaverit. „

et confirmavit Cong. XX. 13 Nec minus expresse prima Congregatio a

restituta Societate commendavit superioribus, ne cuiquam permitterent frequentare monasteria monialium et puellarum conservatoria, nisi ad tradenda exercitia spiritualia, vel pro excipiendis extraordinarie confessionibus. Praepositi autem generales quovis tempore non defuerunt, data occasione, declarare nostrisque praecipere ut aeque a monasteriis ac a conservatoriis, aliisque locis ubi in communi vivunt mulieres quaecumque, abstinerent. Ita P. Claudius anno 1586 respondit: " Sicut nostri a monasteriis monialium, ita a loco in quo feminae collectae manent, abstinere debent iuxta p. 6, d. 3, § 5. „ Et anno 1594 : " Virginum quae simul vivunt, nostros nullatenus convenit superintendentiam suscipere. „ Et alibi etiam : " Non tantum moniales, sed etiam orphanillae, quia claustrales sunt, arcendae sunt a nostrorum confessionibus iuxta p. 6, c. 3, §, 5. „ Eodem denique sensu Romani Pontifices pro re nata interpretati sunt constitutiones nostras. Nam Benedictus XIV in causa quarundam virginum anglicanarum, quarum congregationem et institutum Urbanus VIII supprimendum iusserat, " quoniam, ait, praedictae mulieres se a presbyteris Societatis Iesu directas esse iactabant, iniunctum fuit tunc exsistenti Generali ipsius Societatis Praeposito, ut quatenus id verum esset, subditis suis omnibus districte inhiberet ne se in directione convictuum quarumcumque mulierum immis-

Decr. 12.

et Praepositi Generales in suis Responsis saepius ;

Resp. Gener.

ac denique Summi Pontifices.

Quamvis iusto, 30 April. 1749.

" cerent, *cum id ipsius Societatis instituto con-* " *trarium dignosceretur* „.

14. Ex iis omnibus satis manifeste constat quaenam hac in re sit norma a nostris prae oculis habenda, et quam alienum sit a spiritu Societatis ministerium hoc de quo diximus ; ac proinde qua diligentia et cura invigilare debeant superiores ut ab usu nostrorum arceatur. Dolendum sane quod absoluta necessitate cogamur ad illud suscipiendum quandoque in illis locis, puta in exteris missionibus, ubi sacerdotes alii non reperiuntur : quamvis et iis in adiunctis cautio aliqua adhihenda videatur, scilicet ut religiosae mulieres, quae plerumque claustrales non sunt, audiantur in ecclesia publica, et si id fieri omnino non possit, deputentur viri graves et aetate maturi ad earum confessiones excipiendas, neque iidem semper sint, sed interdum mutentur. Societas nostra, Patres dilectissimi, ad hoc potissimum instituta est, sicut habetur in Bulla Iulii III, " ut ad fidei defensionem et propagationem, et profectum animarum in vita et doctrina christiana, per publicas praedicationes, lectiones, et aliud quodcumque verbi Dei ministerium, ac spiritualia exercitia, puerorum ac rudium.... institutionem, Christi fidelium in confessionibus audiendis ac ceteris sacramentis administrandis, spiritualem consolationem praecipue intendat ; et nihilo minus ad dissidentium reconciliationem et eorum qui

Cautio adhibenda, ubi absoluta necessitas cogit.

Exposcit debitum, 21 Iulii 1550.

Quaenam sint Ministeria propria Societatis,

in carceribus vel in hospitalibus inveniuntur, piam subventionem et ministerium, ac reliqua caritatis opera, prout ad Dei gloriam et commune bonum expedire visum erit.... se utilem exhibeat „ Habemus itaque satis superque in quo occupemur ; et in hac praesertim temporum acerbitate, cum perditissimi catholicae religionis et christianae pietatis hostes nihil studii omittant ut animas Christi sanguine redemptas ad interitum perducere possint, crescit cotidie messis in agro dominico, strenuosque ac vigiles operarios requirit, qui eam assidue et constanter excolant, ne superseminatis zizaniis penitus opprimatur. Tales autem, mihi credite, divinae gratiae auxilio nos erimus, si memores vocationis nostrae, ministeriis quae Societatis propria sunt insiterimus, eaque omnia quae ab illis nos abducere, et Societati insuper non levia incommoda et detrimenta afferre solent, aversabimur.

exercenda cum fructu hoc tempore.

15. Superest, ut pauca dicam de iis quae in praesenti rerum statu praestanda sunt, ut propriam quisque salutem et religiosae virtutis perfectionem assequatur. Qui praesidio vitae communis destituti, vinculisque domesticae disciplinae ferme soluti in dispersione versantur, pronum est ut multis gravibusque periculis obnoxii sint, ac proinde maiore cura et diligentia eniti debent ut fortes in fide et vocatione sua perseverent.

Quae praestanda, ut quisque propriae perfectioni consulat.

16. Iuvabit autem quam plurimum si bini, Etiamsi pau-

ci, pristinam teneant vivendi rationem.

terni vel plures, quantum fieri potest, simul collecti in communi vivant, eandemque teneant vivendi agendique rationem, quam in Societate didicerunt.

Tempus utiliter terant ex nutu et voluntate Superiorum.

17. Habeat unusquisque praefinitum tempus, quod utiliter terat vel in studiis vel in ministeriis spiritualibus ; nihilque suscipiat vel agat, nisi de superiorum suorum nutu et voluntate.

Caveant, ne effundantur ad exteriora.

18. Caveant a nimia familiaritate et consuetudine cum exteris et saecularibus hominibus, evitentque, si necessitas et caritas non urgeat, inutilia colloquia, officiosas visitationes, vaga itinera et excursiones.

Nec se rebus saecularibus et politicis immisceant.

19. Nulla ratione se negotiis saecularibus immisceant, licet amicorum et parentum precibus incitati, neque verbo aut scripto de rebus politicis agant.

Rogati autem ab Episcopis et Curionibus libenter dent operam pro animarum salute.

20. Rogati a Curionibus, Parochis et Episcopis, quibus debitus honor, reverentia et obsequium, ut decet, deferendum est, non detrectent operam suam ponere contionibus habendis, sacramentis ministrandis, aliisque omnibus spiritualibus auxiliis, quae pro animarum salute constituta sunt, nec legibus instituti nostri prohibentur.

Ratio habeatur religiosae paupertatis,

21. Prae ceteris autem maxime commendo, ut ratio habeatur religiosae paupertatis quam Deo vovimus. Cum a Sede Apostolica, stante rerum temporalium inopia, data sit dispersis

facultas accipiendi stipendia et eleemosynas pro missis et ministeriis, curandum est ne nimii sint in iis exquirendis; sciantque omnes hanc a legibus nostris temporaneam dispensationem unice datam fuisse, ut praesenti necessitati et honestae sustentationi serviat. Ceterum servanda sunt circa paupertatem ea omnia quae a constitutionibus nostris et a decretis congregationum generalium districte praescribuntur. Et quoniam in hac re facile est gravioris noxae piaculum incurrere, intellegant superiores, nullam in hoc genere novitatem sine apta animadversione transigendam ; ac proinde, si conivendo, dissimulando, aut etiam laxiores facultates praebendo infringi paulatim leges nostras permiserint, perniciosissimae corruptelae culpam in eos reiectum iri. Legant et exsequantur quae tum de hoc argumento, tum de aliis maxime opportunis et utilibus scripsimus in epistola, quam ad omnes provincias misimus die 13 Iunii 1877.

eiusque perfectionis assequendae :

22. Sed qui evangelicam paupertatem ex voto profitentur, non satis habent se ab iis omnibus abstinere quae graviter conscientiam laedunt, sed insuper omnem curam ac diligentiam adhibent ut eius perfectionem assequantur. Hanc autem perfectionem postulat religiosae vitae ratio quam inivimus, postulant constitutiones nostrae et decreta congregationum generalium, postulant exempla Christi Domini et Apostolorum : et S. P. Ignatius ad eam non solum conservandam,

proposito primorum Patrum exemplo.

sed et augendam nos provocat, proposito ante oculos illustri primorum patrum exemplo. *Cum enim*, inquit, *qui primi in Societatem convenerunt, per huiusmodi indigentiam, ac penuriam maiorem rerum corpori necessariarum probati fuerint; qui post eos accedent, curare debent, ut quoad poterunt, eo pertingant quo illi pervenerunt, vel ulterius etiam in Domino progrediantur.* Hinc nos docuit paupertatem diligere ut *matrem*, et professos omnes adegit ut concepto voto promitterent *se ad innovationem constitutionum in iis, quae ad paupertatem pertinent, nihil facturos.... nisi aliquo modo, pro rerum occurrentium ratione, eam in Domino magis restringendam iudicarent.*

Exam. gen. c. 4 § 26.

Const. p. 5, c. 2, § 1.

Impedimenta inde amovenda:

23. Haec est, Patres Fratresque carissimi, absoluta paupertatis perfectio ad quam tendere debemus, remotis impedimentis quae hoc praesertim tempore species quaedam vel honestatis vel caritatis nobis obicere, ac porro a recta via nos retardare possent. Cum eiecti e domibus nostris cogamur hac illac asylum quaerere et in aedibus saecularium cotidie degere, facile quisque sibi persuadere potest aequitati et honestati consonum esse, se etiam hominum saecularium vivendi modo accommodare, atque ideo in praesenti statu exquisitiora commoda sibi comparare quoad victum, vestitum, supellectilem, ceteraque ornamenta domestica. Iam vero qui ita animo sint comparati, nullum umquam finem invenient inquirendi quae sibi necessaria esse existiment ad

primo species quaedam honestatis;

honestatem ; et actum erit de religiosa paupertate. His porro assueti deliciis et commodiis, ea omnia postmodum in communitatem comportare studebunt, atque ita se gerere, ut corpore domi et animo in saeculo versari videantur.

secundo, aeque fallax species caritatis.

24. Quod si apud suos divertant, aeque fallax et multo periculosior caritatis species obversabitur ad inferendum religiosae paupertatis exitium. Fac ut quis inveniat parentes et consanguineos aliqua rerum temporalium difficultate pressos ; reviviscet statim carnalis amor in suos, et hac extranea caritatis specie captus in discrimine erit saecularibus negotiis, quibus in ingressu religionis nuntium remisit, se ex animo iterum immiscendi. Hinc bonorum administrationem suscipere, pecuniam undique corrogare, lites intendere, et si placet, etiam in foro certare, aut palam negotiari ad quaestum. Quibus negotiis continenter implicatus iam inde se nulla vi abstrahi et ad communis disciplinae formam revocari patietur ; nec ad sui cultum, ad orationis studium, ad regularum observantiam, virtutumque religiosarum exercitationem colligere valebit. Nulla certe alia potiore via humanae salutis hostis acerrimus, qui circuit quaerens quem devoret, aggredi potest religiosos homines, ut eos a vocatione sua abducat. Videant ergo, si qui sunt hac ratione decepti, ne cadant. Hoc est enim respicere retro et ad telonium redire, quod insigni constantia et vir-

tute dimisimus. Si apti regno Dei esse volumus,
Summ. Const. 8. *exuamus*, ut ait S. Pater Ignatius, *omnem carnis affectum erga sanguine iunctos, ac illum in spiritualem convertamus, diligendo eos eo solum amore, quem ordinata caritas exigit, ut qui mundo et proprio amori mortuus, Christo Domino nostro soli vivit, eumque loco parentum, fratrum et rerum omnium habet.*

Denique ad orationem recurrendum. 25. Ut finem denique scribendi faciam, omnia et singula quae diximus facile praestabimus, si hoc tempore calamitatis coniuncti cum Deo vivimus, eiusque gratiam et auxilium assiduis precibus flagitamus. Imminente iam saevientium Iudaeorum turba, Christus Dominus apostolos
Matth. 26, 41. suos monuit dicens : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Nobis itaque iam in tribulatione positis multo magis vigilandum est, et impensius orandum, ut firmi ac stabiles in exercitatione virtutum et in germano vocationis spiritu perseveremus. Effundamus ex intimo corde preces ante thronum Dei, et humiles ac devoti exspectemus auxilium in tempore opportuno. Praescripseram meis litteris, die 12 Februarii vertentis anni datis, ut, praeter alia, usque ad festa paschalia recitarentur cum Litaniis preces illae olim impositae in honorem SS. Cordis Iesu ; nec longius eas protrahi existimavi, ne res temporanea in absolutam consuetudinem et quasi legem abiret ; sed non inde mens mihi fuit ab omni vos precandi munere exonerare. Immo etiam atque

etiam hortor, ut omnes in oratione ferventissimo ardore persistant. In tanta temporum nostrorum calamitate, in tanta quae contra Societatem excitata est procella, sit spes nostra in sola Dei bonitate et misericordia, humili prece imploranda. *Petite et accipietis ; pulsate et aperietur vobis.* Matth. 7, 7.

Ut vero maiorem vim obtineant preces nostrae, interponamus efficax patrocinium sanctissimae et immaculatae Dei Matris Mariae, eiusque Sponsi fidelissimi Iosephi, nec non intercessionem sancti parentis nostri Ignatii. Peculiares exercitationes non definio, cum satis intellegam me minus posse praescribere quam praestare quisque paratus sit ac velit. Aperiam tantum desiderium meum quod est, ut unusquisque pro sua pietate in Deum et pro amore quo fertur in Societatem saepe in suis orationibus ac sacrificiis divinum imploret auxilium, et omnes ante festum S. P. N. Ignatii et Immaculatae Conceptionis triduanas vel novendiales preces ad eundem finem praemittant, liberumque sit Praepositis Provincialibus post auditos consultores quidpiam peculiare, si velint, in sua quisque provincia praescribere.

Precor ut Deus spei repleat vos omni gaudio et pace in Christo Iesu Domino nostro : et me interim sanctis sacrificiis et orationibus vestris ex animo commendo.

Fesulis, die XVI Iunii, S. Ioanni Francisco Regis sacra, M. D. CCC. LXXXI.

Vestrum omnium servus in Christo.

PETRUS BECKX.